EPHEMERIDES TULLIANAE

RERUM INDE AB EXSILIO CICERONIS (MART. LVIII A. CHR.) USQUE AD EXTREMUM ANNUM LIV GESTARUM.

DISSERTATIO HISTORICA QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE CONSEQUENDOS UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXII. M. IULII MDCCCLXXXVI HORA XII. DEFENDET

GERARDUS RAUSCHEN
HEINSBERGENSIS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

MATTHIAS HEITZMANN
HUGO LOEWE
GUILELMUS SCHWARZ.

BONNAE
APUD HERMANNUM BEHRENDT.
MDCCCLXXXVI.

HENRICO NISSEN

S.

Historia rerum inde ab exsilio Ciceronis quinquennio fere gestarum, quarum de temporibus disputare in animo est, cum ex orationibus tum ex epistulis Tullianis tamquam ex uberrimo et lucidissimo fonte manat; itaque quo tempore et ordine orationes habitae epistulaeque datae sint, ante omnia nobis quaerendum est. Accedunt commentarii de bello gallico a Caesare conscripti, qui bellorum in Gallia, Germania, Britannia ab ipso gestorum praecipui sunt testes; attamen cum de temporibus, quo die ac mense quaeque res gesta sit, pauca eaque vaga fere prodant, eis ad solos annos 58, 55, 54 a. Chr. ordinandos uti mihi licuit. Praeterea Plutarchus in vitis Caesaris, Ciceronis, Pompei et Cassius Dio in libris XXXVIII. et XXXIX. de annis 58—54 multa narrant, ex quibus scriptoribus ille in hisce historiae partibus eundem auctorem graecum, cuius librum in bello civili, quod fuit inter Caesarem et Pompeium, enarrando exscripsit, sequi videtur [1]), hic Livii libros Caesarisque commentarios inter se connexuisse videtur. [2])

1) Plutarchus in vita Caesaris (c. 22) et Caesaris ephemeridas et Tanusium Geminum laudat; eosdem vero scriptores eadem occasione oblata testes adfert Appianus (de reb. gall. 18); hinc et Plutarchum et Appianum loco isto ex eodem fonte hausisse certissime cognoscitur. Quem utriusque auctorem graecum fuisse postquam effecit Thouretius in libro 'Leipziger Studien' (vol. I. p. 338 squ.), suo iure Iudeichius ('Caesar im Orient' Lipsiae 1885 p. 33 squ.) de Strabone cogitavit.

2) Grasshoffius in libello: 'de fontibus et auctoritate Dionis C. C. in libris XXXVI—XL' (Bonnae 1867) Dionem Caesaris commentarios de bello gallico inspexisse cum aliis negavit. Quam sententiam improbabis, si, quae Dio de bello cum Venetis gesto tradit (XXXIX 40—43), cum commentariis (III 8—15) comparaveris; ibi enim Dio primum quidem (c. 40) ea, quae Caesar (c. 8—13) exposuit, constrinxit; deinde (c. 41—43 usque ad illud: ὅπως γὰρ δὴ μηδ' αὖθις etc.) proelium navale modo a Caesare alienissimo (c. 14—15) descripsit; denique (c. 43 ὅπως δὴ etc.) quae Caesar (c. 14) de eiusdem proelii ratione narravit, etsi iis, quae ipse Dio modo exposuerat, minus conveniunt, paucis adiunxit.

Porro Appianus in bellis civilibus res annis 58—54 gestas summas tantummodo adtingit; quae vero idem auctor in libro 'de rebus gallicis' de eodem temporis spatio tradidit, maximam partem interierunt. Postremo et vita Caesaris a Suetonio conscripta et Velleii, Flori, Orosii libri ad tempora constituenda eorum, de quibus agitur annis, nihil sane conferunt.

In orationes Tullianas, quo ordine habitae essent, rerumque gestarum in tempora Ludovicus Langius in volumine III. antiquitatum, quas scripsit, romanarum (Berol. 1876[2]) breviter quidem verum sat feliciter inquisivit. Sed de epistulis, quibus diebus vel mensibus singulae datae essent, post Gruberum (quaestio de tempore atque serie epistularum Ciceronis, Sundiae 1836) praeter pauca verba, quae in Philologo (vol. XIII. p. 645—656) Hoffmannus de epistulis ad Att. III 1—7 fecit, eo, quo libellum hocce in manibus habebam tempore, diligentius nemo quaesiverat; libello vero absoluto adlata est mihi A. Koerneri dissertatio Lipsiensis: 'de epistulis a Cicerone post reditum usque ad finem anni a. u. c. 700 datis quaestiones chronologicae', quae anno 1885 in lucem prodiit. Ac Koernerus quidem etsi de multis rebus minore ingenii acie mentisque subtilitate iudicium fecisse mihi videtur, diligentissime tamen omnia fere temporum indicia ex epistulis, de quibus disputavit, congessit, alia primus vidit, in aliis amplioris inquisitionis fundamenta iecit; itaque quin eo libro usus essem, cum dissertationem emittere dubitarem, retractavi, quae scripseram; quae opera si propter temporis angustias non ea, qua par erat diligentia, a me administrata est, veniam peto.

EPHEMERIDES.

Dies (et loca) asterisco signati ratione effecti sunt.

58. a. Chr.	
Mart.	
1. Mart.	anni veteris dies fere 26. Febr. anni Iuliani fuit.[1]
*ca. 15	Lex Clodia: *qui civem romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur* (Vell. II 45) comitiis tributis (Sest. 65) perfertur.[2]
	Eodem die de provinciis consularibus lex fertur, Ciceronis domus diruitur villaeque spoliantur.[3]
	Iam ante eum diem Cicero ex urbe cesserat.[4]
*paulo ante 20.	Caesar Roma in Galliam discedit.[2]
*ex. Mart. vel in. Apr.	Att. III 1 ex itinere.[5]
Apr.	
6.	Att. III 5 *Eburo.[6]
8.	Att. III 2 Naribus Luc.[7]
*paulo post	Att. III 3 ex itinere Vibonem versus facto.[8]
*13.—15.	Att. III 4 ex itinere Vibone Tarentum facto.[9]
17.	Att. III 6 mane de Tarentino;[10] deinde eodem die Cicero Brundisium advenit (Att. III 7 init.).
*20.—23.	Lex Clodia de exsilio Ciceronis nominatim fertur.[11]
26.	Cicero navem adscendit (fam. XIV 4, 3).
29.	Cicero Brundisio Dyrrachium proficiscens dat ad Att. III 7 (cfr. ep. extr. et ep. 8 in.) et ad Terentiam, Tulliam, Ciceronem XIV 4.[12]
Mai.	
*1.—15.	Romae Tigranes a Clodio e custodia vi liberatur.[13]
23.	Cicero Thessalonicam accedit (Att. III 8, 1).

*25.—29.	Cicero dat ad Pompeium literas, quae exciderunt (Att. III 8, 4).[13]
29.	Att. III 8 Thessalonica.
Iun.	
*in. Iun.	Quintus Cicero ex Asia redux ad urbem accedit.[14]
1.	Senatus frequens de reditu Ciceronis decernit referente Ninnio tr. pl., Aelius Ligus tr. pl. intercedit (Sest. 68).
13.	Att. III 9 et Qu. fr. I 3 Thessalonica.
17.	Att. III 10 Thessalonica.
27.	Att. III 11 Thessalonica.
*ex. Iun.	Comitia consularia habentur.[15]
Quinct.	
*mense fere Qu.	Caesar ad Bibracte Helvetios devincit.[16]
medio Qu.	Comitia relicua fiunt (Att. III 13, 1); paucis diebus post in senatu de Cicerone agitur (Att. III 15, 1 post red. in sen. 22).
17.	Att. III 12 Thessalonica.
21.	Att. III 14 indidem.
Sext.	
5.	Att. III 13 Thessalonica.
	Eodem fere die ad Qu. fr. I 4 Thessalonica datur.[17]
11.	Servo P. Clodii sica in senatu excidit, qua Pompeium occisurus fuisse putatur; exinde Pompeius domi se tenet (Ascon. p. 41 K.-S.).
17.	Att. III 15 Thessalonica.
19.	Att. III 16 indidem.
Sept.	
in. Sept.	Sestius, tr. pl. designatus, rogationem promulgat de Ciceronis domo (Att. III 20 cfr. 21 in., fam. XIV 2, 3).
4.	Att. III 17 Thessalonica.
*4.—15.	Att. III 18 Thessalonica.[18]
15.	Att. III 19 Thessalonica.
*ca 22.	Caesar Ariovistum devincit et in Germaniam ulteriorem repellit.[19]

	Paulo post Caesar in Italiam proficiscitur (Caes. b. g. I 54).
Oct.	
4.	Att. III 20 Thessalonica.
5.	ad Terentiam, Tulliam, Ciceronem XIV 2 Thessalonica.
28.	Att. III 21 Thessalonica.
29.	Tribuni plebis praeter Clodium et Ligurem omnes de reditu Ciceronis rogationem promulgant (Att. III 21, 1).
Nov.	
*ca med. Nov.	Cicero Thessalonica Dyrrachium discedit.[20]
25.	Att. III 22 Dyrrachio, cuius epistulae § 1—3 brevi ante quam Cicero Thessalonica abiret, scriptae sunt (cfr. § 4). Eodem die ad Terentiam XIV 1 datur, cuius § 1—6 et ipsae Thessalonicae scriptae sunt (cfr. § 6 et 7). Eo die Dyrrachium Cicero advenisse videtur.
29.	Att. III 23 et ad Terentiam XIV 3 Dyrrachio.[21]
Dec.	
10.	Att. III 24 Dyrrachio.
	Eodem die vel brevi post novem tribuni pl., qui magistratum inierunt, rogationem promulgant de Cicerone revocando (Sest. 72).
*17.—25.	Att. III 25 Dyrrachio.[22]
57.	
Ian.	
1.	= 21. Dec. 58 anni Iuliani.[1]
	Hoc die Lentulus Spinther consul frequentissimo senatu de Ciceronis reditu refert; Metellus alter consul inimicitias, quae cum Cicerone sibi fuerint, rei publicae temporibus se permissurum esse dicit; at Atilius Serranus tr. pl. noctem sibi ad deliberandum postulat (Sest. 72 et 74, p. red. ad quir. 11).
1.—15.	In senatu nihil agitur nisi de reditu Ciceronis (Sest. 74 cfr. fam. I 4, 1).
*8.—22.	Att. III 26 Dyrrachio.[23]
23.	Qu. Fabricius tr. pl. quominus rogationem de

	Cicerone perferat, in concilio tumultu prohibetur (Sest. 75), Qu. Cicero vulneratur (l. l.).
*in. Febr.	Att. III 27 Dyrrachio.[24]
Febr.	Sestius tr. pl. in templo Castoris multis vulneribus conciditur (Sest. 79 *obnuntiavit consuli* [Metello]).
23. Ian. — 4. Sext.	Caedes multae in urbe fiunt; deinde saepius de reditu Ciceronis agitur et in senatu et apud plebem.[25]
*Mart. — Quinct.	ad Qu. Metellum consulem V 4 Dyrrachio.[26]
Sext. 4.	Rogatio consularis de Ciceronis reditu perfertur comitiis centuriatis. Eodem die Cicero Dyrrachio proficiscitur (Att. IV 1, 4).
5.	Cicero Brundisium accedit (l. l.).[27]
8.	Cicero Quinti fr. literis Brundisii de lege lata docetur (l. l.).
Sept. 4.	Cicero urbem ingreditur cum ingenti populi romani plausu (§ 5).
5.	Cicero senatui gratias agit (l. l.).
*7.	In Capitolio senatus consultum fit in sententiam Ciceronis (de dom. 6—7), ut cum Pompeio de cura annonae agatur lexque feratur; deinde Cicero contionem habet, in qua populo gratias egisse videtur (§ 6).[28]
8.	Pompeius quindecim legatos postulat eorumque principem Ciceronem nominat; eodem die lex consularis promulgatur, qua Pompeio per quinquennium rei frumentariae omnis potestas toto orbe terrarum tribuatur (Att IV 1, 7).
*medio fere Sept.	Att. IV 1 Roma.[29]
29.	Cicero orationem de domo habet apud pontifices, quae exstat (Att. IV 2, 2); pontificum responsum vide l. l. § 3.
ante Oct.	Comitia consularia fiunt (de har. resp. 13; Att. IV 2, 4.)

*1. Oct.—17. Dec.	Ex sententia Ciceronis Caesari decernitur *dies quindecim supplicatio, quod ante id tempus accidit nulli* (Caes. b. g. II 35).[30]
	Eodem fere tempore in senatu Cicero habet orationem de rege Alexandrino, cuius fragmenta complura reposita sunt in scholiis Bobiensibus (ed. Orell. p. 349—351).[31]
*2. Oct.	Fit senatusconsultum de area domus Ciceroni reddenda et de superficie a consulibus aestimanda (Att. IV 2, 5).
*15.-31. Oct.	Att. IV 2 Roma.[32]
	Eodem fere tempore senatus decernit, consules *ut curarent, ut sine vi liceret aedificare* M. Tullio (de har. resp. 15).
Nov. 3.	Fabri de area Ciceronis a Clodio pelluntur, Quinti fr. domus inflammatur (Att. IV 3, 2).
11.	Cicero a Clodio lapidibus et fustibus in Sacra via petitur (Att. IV 3, 3).
12.	Clodius, qui Milonis domum in Germalo incendere conatur, pellitur a Qu. Flacco (l. l.).
paulo post 14.	Senatus decernit: qui Ciceronis sedibus vastitatem intulissent, eos lege Plautia de vi teneri (Att. IV 3, 3 cfr. de har. resp. 15).
19. 20. 23.	Comitia aedilicia Milo tr. pl. obnuntiando turbat (Att. IV 3, 4—5).
23.	Att. IV 3 ante lucem Roma (§ 5).
*paulo ante 17. Dec.	Lupus tr. pl. in senatu causam agri Campani agit magno cum senatus silentio.[33]
	Eodem die Cicero dat ad Qu. fr. II 1 Roma (cfr. in. ep.); deinde, sed ante anni exitum, Quintus Cicero Pompei legatus in Sardiniam transmittit (Qu. fr. II 1 extr.).
*ex. Dec.	Lentulus Spinther consul ex urbe in Ciliciam prov. proficiscitur. Iam antea Ptolemaeus rex Roma in Asiam discesserat.[34]

	Adn. Epistula ad Gallum VII 26, quam voluerunt hoc anno datam esse, anno 46 vel 45 data est.[35]
56.	
Ian.	
1.	= 10. Dec. 57 anni Iuliani.[1]
13.	ad Lentulum I 1 Roma (§ 3).
13.—15.	Agitur in senatu de rege Ptolemaeo in Aegyptum reducendo (fam. I 2 et 4).
14.	Senatus decernit: regem Ptolemaeum *cum multitudine reduci periculosum rei publicae videri* (Qu. fr. II 2, 3 cfr. fam. I 2, 1).
15.	ad Lentulum I 2 ante lucem Roma (§ 4).
*vertente Ian.	ad Lentulum I 3 Roma.[36]
*16—19.	ad Lentulum I 4 Roma.[37]
17.	Qu. fr. II 2 Roma.
20.	Comitia aedilicia habentur (Qu. fr. II 2, 2).
28.	Att. IV 4a Roma (cfr. in. ep.).
	Paulo post Atticus ex itinere Asiatico Romam rediisse videtur (l. l.), quem Idibus Febr. ibi adfuisse constat (Qu. fr. II 3, 7).
Febr.	Caesar Aquileiae versatur (in Vat. 38).
2. 6. 17.	Milo, cui Clodius aedilis diem dixerat (Sest. 95), adest reus in foro (Qu. fr. II 3); dies prodicitur in Non. Mai. (Qu. fr. II 5, 4).
2.—5.	C. Cato tr. pl. de imperio Lentulo proconsuli abrogando legem promulgat (Qu. fr. II 3, 1).
	Eodem tempore dat Cicero ad Lentulum I 5a.[38]
6.	Pompeius dicit pro Milone, increpitatur vehementer a Clodio, suboffendit apud plebem (Qu. fr. II 3, 1—2; 4, 5).[39]
8.	Fit senatusconsultum: *ea, quae facta essent a. d. VIII. Id. Febr. contra rem publicam esse facta*; C. Cato acerbe in Pompeium invehitur *nimium magno silentio* senatus, Pompeius Crassum describit (Qu. fr. II 3, 3 fam. I 5b, 1).
aliquanto post.	ad Lentulum I 5b Roma.[40]

10.	Sestius de ambitu et de vi postulatur; fit senatus consultum: *ut sodalitates decuriatique discederent* (Qu. fr. II 3, 5).
11.	Cicero pro L. Calpurnio Bestia de ambitu dicit (§ 6).
12.	Cicero ante lucem scribit ad Qu. fr. II 3, quae ep. a. d. XV. Kal. Mart. data est (§ 7);[41] fiunt nuptiae Attici cum Pilia (l. l.).
*post 17.	ad Lentulum I 6 Roma.[42]
11. Mart.	Cicero orationem pro P. Sestio habet, quae exstat; eodem die interrogationem dicit in Vatinium, qui pridie testis fuerat in Sestium; Sestius absolvitur (Qu. fr. II 4, 1; in Vat. 3).[43]
*brevi post	Qu. fr. II 4, 1—2 (ed. Baiter; Or.: II 4) Roma.[44]
Apr. *4.	Cicero pro M. Caelio Rufo habet orationem, quae exstat.[45]
	Eodem die Tullia Ciceronis Crassipedi despondetur (Qu. fr. II 5, 1).
*4.—5.	Qu. fr. II 4, 3—7 (ed. Bait.; Or.: II 6, 3—7) Roma.[46]
5.	Agitur *vehementer de agro Campano clamore senatus prope contionali* (Qu. fr. II 5, 1); senatus Ciceroni adsentitur: *ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur* (fam. I 9, 8).
*8.	Cicero ex urbe in villas discedit, dat ad Qu. fr. II 5 ante lucem ex itinere.[47]
11.	Pompeius ex urbe in Sardiniam et Africam proficiscitur, quo itinere Lucam ad Caesarem venit (Qu. fr. II 5, 3 fam. I 9, 9).
*ca 13.	Att. IV 7 *ex Arpinati.[48]
*ca 18.	Caesar, Pompeius, Crassus Lucam conveniunt.[49]
Mai. *7.—14.	Cicero in senatu de haruspicum responso dicit, quae oratio superest.[50]
15.	A. Gabinio proconsuli supplicatio a senatu denegatur. *De agro Campano quod dictum erat*

	actum iri hoc die et postridie, non est actum (Qu. fr. II 6).
	Paulo post dat Cicero ad Qu. fr. II 6 Roma (§ 2).
	Deinde Caesari et stipendium et decem legati decernuntur (de prov. cons. 28 fam. I 7, 10).[51]
*Iun.	Cicero in senatu orationem de provinciis consul. habet, quae exstat.[52]
	Eodem fere tempore ep. ad Lucceium V 12 [53] et ad Att. IV 4b [54] Antio datae esse videntur.
	Paulo post Att. IV 5, deinde IV 6, denique IV 8a datae sunt indidem.[54]
	Hoc eodem mense Pompeius ex Sardinia et Africa Romam rediisse videtur.[55]
*Iun. vel Quinct.	ad Lentulum I 7 Roma.[56]
*Quinct. — Nov.	Cicero orationem pro L. Cornelio Balbo habet, quae in libris fertur.[57]
*med. fere Sept.	Att. IV 8b e villa prope urbem.[58]
	Eodem tempore vel paulo post senatus vestem mutat propter conatus C. Catonis tr. pl. (Dio XXXIX 28—30).
Nov.—Dec.	Feriae latinae instaurantur; in senatu toto hoc tempore propter infrequentiam nihil decernitur (Dio l. l. 30).
	Eodem fere tempore M. Cato ex Cypro insula Romam revertitur.[59]
	Hoc anno exeunte ep. ad Qu. Valerium Orcam XIII 6a et b datae videntur.[60]
55.	Hoc anno intercalatum est.[1]
1. Ian.	= 29. Nov. 56 anni Iuliani. [1]
*Ian. vel in. Febr.	Pompeius et Crassus consules creantur. [61]
*paulo post 11. Febr.	Qu. fr. II 7 Roma; [62] deinde praetores creantur (Qu. fr. II 7, 3).
*Febr.-Mart.	ad Lentulum I 8 Roma.[63]
Apr. *ca 10.	A. Gabinius Syriae prov. proconsul Ptolemaeum

	regem in Aegyptum reducit cum exercitu, Pompeio instigante (Dio XXXIX 55).[64]
21.	Pompeius in Cumanum venit eumque postridie convenit Cicero (Att. IV 10, 2).
22.	Att. IV 10 mane e Cumano.[65]
26.	Att. IV 11 indidem.[66]
27.	Att. IV 9 ex itinere in Pompeianum facto.[66]
	Eodem die Pompeius et Crassus consules in Albanum conveniunt (Att. IV 11, 1).
*Mai.(post 7?)	Qu. fr. II 8 e Cumano vel Puteolano.[67]
*post 1. Mai.	Feruntur eodem die leges et Trebonia de provinciis consularibus nominatim et Pompeia Licinia de imperio Caesari prorogando.[68]
*ex. Mai.—Oct.	Att. IV 12 e villa prope urbem.[69]
*ca 9. Quinct.	Caesar Usipetes Tencterosque devictos trans Rhenum repellit.[70]
*ca. 29. Qu.	Caesar pontem in Rheno conficit.[70]
15. Sext.—Oct.	Cicero habet orationem in Pisonem, cuius maior pars exstat (in Pis. 59).
	Paucis diebus post Pompeius ludos facit, quibus theatrum a se exstructum dedicat, quo tempore Cicero pro Caninio Gallo dicit (fam. VII 1, 4); [71] deinde Cicero dat ad M. Marium VII, 1 (cfr. § 1).
	Eodem fere tempore (ante Nov.) comitia magistratibus creandis habentur.[72]
*ca. 12. Sept.	Caesar in Britanniam transmittit.[70]
*ex. Sept.	Caesar ex Britannia redit.[70]
*ex. Oct.—Nov.	Ex literis Caesaris dierum XX supplicatio a senatu decernitur.[70]
brevi ante 13. Nov.	Crassus consul in Syriam prov. Roma abit (Att. IV 13 cfr. fam. I 9, 20).
*15.-16. Nov.	Att. IV 13 e Tusculano.[73]
54.	
1. Ian.	= 12. Dec. 55 anni Iuliani.[1]
*Ian.	ad M. Crassum V 8 Roma.[74]
*brevi ante 12. Febr.	Qu. fr. II 9 Roma.[75]

13. Febr.	Qu. fr. II 10 Roma.[76]
14. Febr.	Qu. fr. II 11 mane Roma (§ 4).
*mense fere Apr.	ad Caesarem VII 5 Roma.[77]
*in. Mai.	ad Trebatium VII 6 *e Cumano vel Pompeiano.[78]
*Mai.	Cicero in Cumano et Pompeiano libros de re publica conscribit.[79]
10.	Atticus Roma in Epirum atque inde in Asiam discedit (Att. IV 14, 1; 15, 2—3).
	Paulo post Cicero dat ad Att. IV 14 e Cumano vel Pompeiano (Qu. fr. II 12, 1 cfr. § 1).[80]
*15.—18.	Qu. fr. II 12 e Cumano vel Pompeiano.[81]
ex. Mai.	Caesar ex Italia in Galliam ulteriorem proficiscitur transiturus in Britanniam (Qu. fr. II 13, 1).
*Iun.	ad Trebatium VII 7 Roma.[82]
2. Iun.	Cicero e Cumano Romam regreditur (Qu. fr. II 13, 1).
Iun. (post 3.)	Qu. fr. II 13 Roma (§ 1).[83]
Quinct.	
*brevi ante 4.	Att. IV 16 Roma.[84]
*4.	C. Cato lege Aelia et Fufia accusatus absolvitur (Att. IV 15, 4; 16, 5 Ascon. p. 16 K.-S.).[84]
6.	M. Scaurus repetundarum postulatur a P. Valerio Triario (Asc. p. 17).
7.—8.	Cicero pro Reatinis contra Interamnates in Reatino dicit (Att. IV 15, 5—6).
27.	Att. IV 15 Roma (§ 8).
	Eodem fere die ad Qu. fr. II 14 indidem datur.[85]
*29.	Caesar in Britanniam traiecisse videtur.[86]
Sext.	De ambitu consularium candidatorum multos dies in senatu atrocissime agitur.[87]
*in. fere Sext.	ad Trebatium VII 8 Roma.[88]
*ex. Sext.	Qu. fr. II 15 ante meridiem Roma.[89]
	Eodem die, quo epistulam ad Qu. fr. II 15 scripsit, Cicero mane Drusum de praevaricatione, post meridiem Vatinium de sodaliciis (Schol. Bob. p. 262 Or.) reum defendit (Qu. fr. II 15, 3).

*ex. Sext. vel in. Sept.	Cicero orationem pro Cn. Plancio habet, quae exstat.[90]
Sept.	
2.	Cicero orationem pro M. Scauro habet, cuius fragmenta apud Asconium et scholiastam Bobiensem leguntur (Asc. p. 16); Scaurus absolvitur (Asc. p. 25).
*2.—18.	Iulia, Caesaris filia, Pompei uxor, moritur.[91]
*14.—18.	Qu. fr. III 1 § 1—14 *suppeditat mihi hortorum amoenitatem* scriptac in Arpinati.[92]
19.	A. Gabinius ex Syria prov. redux ad urbem accedit (Qu. fr. III 1, 15).
*20.	Qu. fr. III 1 § 14 *Romam cum venissem* — § 19 Romae scribuntur.[93]
*20.—27.	Qu. fr. III 1 § 20—22 Romae scribuntur (§ 17 et 24).
25.	Caesar ex Britannia exercitum in Galliam reportat (Att. IV 18, 5); ipse ineunte Oct. in Galliam transiisse videtur.[94]
28.	Qu. fr. III 1 § 23—25 Romae scribuntur (§ 24); deinde tota ep. III 1 datur.
Oct.	
*in. Oct.	ad Trebatium VII 9 Roma.[95]
1.	Att. IV 17 ante lucem Roma (§ 4).[96]
7.	Gabinius, qui a. d. IV. Kal. Oct. noctu in urbem introierat, primum in senatum intrat et a Cicerone lacessitur (Qu. fr. III 2, 2 cfr. 1, 24).
11.	Qu. fr. III 2 ante lucem Roma (§ 1).
*21.	Qu. fr. III 3 Roma.[97]
23.	Gabinius de maiestate reus absolvitur.[98]
*med. vel ex. Oct.	ad Trebatium VII 17 Roma.[99]
24.	Qu. fr. III 4 mane Roma (§ 6).
*25 vel brevi post.	Att. IV 18 e Tusculano.[100]
*25 Oct.—2. Nov.	Qu. fr. III 5 et 6 e Tusculano;[101] deinde Qu. fr. III 7 indidem.[102]
2.-3. Nov.	C. Pomptinus de Allobrogibus triumphat (Qu. fr. III 4, 6 Att. IV 18, 4 C. I. L. I p. 460).
*paulo post 23. Nov.	Qu. fr. III 8 Roma.[103]

	Eodem tempore Att. IV 19 data videtur.[104]
	Porro eodem fere tempore Eburones et Nervii Ambiorige et Indutiomaro ducibus defectionem in Gallia moliuntur (Caes. b. g. V 23, 24, 26).[105]
	Haud ita multo post Atticus ex itinere Asiatico in urbem redit (Att. IV 19, 1).
*ex. Nov.	ad Trebatium VII 16 Roma.[105]
*Dec.	ad Lentulum I 9 Roma.[106]
*ca 1.-20. Dec.	Qu. fr. III 9 Roma.[107]
*post med. Dec. (?)	A. Gabinius de repetundis postulatus, quamquam a Cicerone defenditur, damnatur.[108]
	Deinde de C. Rabirio Postumo iudicium fit, in quo Cicero orationem istam dicit, quae superest.[108]
*ex. Dec.	ad Trebatium VII 10 Roma.[109]
	Hoc eodem anno ep. ad Qu. Ancharium XIII 40 data videtur.[110]

ARGUMENTATIO.

1) Kalendas Ianuarias anni veteris LII a. Chr. in diem XXI. Nov. anni Iuliani LIII a. Chr. incidisse inter omnes constat (cfr. Ungerum in Fleckeis. annal. vol. CXXIX [1884] p. 586 squ.). Sed de annis, qui praecedunt annum illum LII, ad normam veri temporis revocandis viri docti in diversissimas abierunt partes; alii enim, ut Nauzius, Idelerus, Korbius, de omnibus annis LXIII—LIII a. Chr. menses intercalares prorsus demunt; Zumptius vero (Fleckeis. annal. suppl. VII [1875] p. 573 squ.) omnibus iisdem annis suo tempore seu altero quoque anno intercalatum esse fuse probare studet; postremo Ungerus (l. l.) eandem quaestionem denuo inlustravit ac sententiis et Nauzii et Zumptii improbatis mediam quandam viam ingressus est. Atque Ungerus id quidem mihi effecisse videtur (p. 582) annis quinque illis LVII—LIII unum tantum mensem insertum esse a pontificibus; nam 1) anno LVII non esse intercalatum inde apparet, quod Cicero, quem sexto decimo 'μάλιστα' post fugam mense rediisse tradit Appianus (b. c. II 16), mense Aprili ex Italia cessit, mense Sextili eo rediit; 2) annis LVI—LIII aut semel XXII dies aut bis XXIII dies intercalati sunt, propterea quod et a. d. X. Kal. Dec. LVII et Kal. Jan. LII fuerunt nundinae (Att. IV 3, 4 Dio XL 47); quodsi duae intercalationes factae essent, Helvetii anno LVIII ineunte mense Martio Iuliano (Caes. b. g. I 6) e finibus suis migrare statuissent, quod vix credibile est; unus igitur mensis XXII dierum annis illis intercalatus esse videtur. Iam vero adeamus quaestionem, quonam anno intercalatio ista evenerit. Ungerus enim (l. l. p. 484—485) Zumptio (l. l. p. 583—584) adsentitur, qui anno LVI Mercedonium adtribuit; sed hanc virorum doctorum sententiam, cum fundamentis paene careat et epistula quaedam Tulliana aperte obloquatur, ipse meam facere nequeo. Etenim: 1) a. d.

V. Id. Mart. anno LVI Sestius absolutus est de vi (Qu. fr. II 4, 1), qui de ambitu et de vi accusatus erat a. d. IV. Id. Febr. (Qu. fr. II 3, 5); spatio igitur unius mensis duo illa tanta iudicia confecta essent, si anno LVI intercalatum non esset: ita Zumptius. At cum neque in oratione pro Sestio habita neque in epistula ad Qu. fr. II 4 iudicii de ambitu facti mentio fiat, hoc iudicium vel omissum vel post illud de vi factum esse iam Ungerus vidit; 2) circa medium mensem Martium — non a. d. III. vel IV. Non. Apr., quod vult Ungerus — Cicero scripsit: *spero nos ante hiemem contubernales fore* (Qu. fr. II 4, 2), pro quo Ciceroni scribendum fuisse: ‚spero nos ante proximam hiemem etc.', si anno illo intercalatum non esset, censet Ungerus. Quod ei non concedo; nam si intercalatum non esset, epistula, cuius verba posui, data esset exeunte Febr. Iuliano seu hieme in Italia confecta; 3) apertum exstat testimonium, quo intercalationem anno LVI nullam accidisse probatur; extrema enim ep. ad Qu. fr. II 3, quam pridie Id. Febr. conscriptam esse Cicero ipse (§ 7) narrat, dies additur: XV. Kal. Mart. Quod argumentum ut tolleret, Zumptius extremam partem (§ 7) epistulae illius ad aliam epistulam pertinere coniecit; Ungerus, quippe qui Zumptii sententiam improbaret, illud: XV. *Kal. Mart.* initium epistulae alicuius deperditae esse maluit; quas vero adfert rationes, exploratae non sunt: a) se non invenisse dicit epistulam Tullianam alteram, ubi alius, quo scripta sit, alius, quo data sit, dies tradatur; sed nonne epistulae ad Att. III 22 et ad Terentiam XIV 1 maximam partem Thessalonicae scriptae, Dyrrachio parte quadam adiecta multo post datae sunt? et in epistulam ad Qu. fr. III 1 multa coniecta sunt aliud alio tempore *propter commorationem tabellariorum* (§ 23); b) mirum esse dicit Ungerus, quod in epistula illa de iis, quae in senatu Idib. Febr. acta essent, nihil additum sit; at eo die de legationibus actum est (§ 1), quas Quintus minus curasse videtur.

Quae cum ita sint, anno LVI intercalatum esse mihi persuadere non possum. Praeterea neque anno LIV, id quod ex ep. ad Qu. fr. II 11, 3, qui locus Zumptium fugit, patet, neque anno LIII intercalatum est; namque anno LIV a. d.

XI. Kal. Oct. Caesar exercitum e Britannia reportabat (Att. IV 18, 5) atque paulo post aequinoctium suberat (Caes. b. g. V 23); quodsi anno LIII intercalatio ista facta esset, a. d. XI. Kal. Oct. dies IX. mensis Sextilis Iuliani fuisset. Haec sunt, cur intercalationem anno LV evenisse mihi persuaserim.

Cum Zumptio et Ungero Koernerus quoque (p. 15) anno LVI intercalatum esse defendit, etsi argumenta nova nulla adfert.

2) Helvetii a. d. V. Kal. Apr. ad ripam Rhodani prope Genavam omnes convenire statuerunt, ut flumen transgressi per provinciam romanam iter facerent (Caes. b. g. I 6). Sed ante diem, quem dixi, Caesar ad flumen pervenit; quo enim tempore advenit, Helvetii nondum flumen transierant (c. 7); accedit, quod vix Caesar ante Id. Apr. *milia passuum XIX murum in altitudinem pedum XVI* (c. 8) tam parvis copiis perfecit, nisi mense Martio iam adfuisset. Atqui octavo die tunc temporis Caesar Roma ad Rhodanum pervenit (Plut. Caes. 17); ergo ante a. d. XIII. Kal. Apr. Roma profectus est. Neque vero profectus est ante legem Clodianam latam; Plutarchus enim (Caes. 14) ita habet: οὐ πρότερον ἐξῆλθεν (Καῖσαρ) ἐπὶ τὴν στρατείαν ἢ καταστασιάσαι Κικέρωνα μετὰ Κλωδίου καὶ συνεκβαλεῖν ἐκ τῆς Ἰταλίας, quae verba non de discessu Ciceronis ex Italia, sed de lege illa Clodiana interpretanda esse et ex Caes. b. g. I 6—8 et ex Sest. 41, post red. in sen. 32, Dione XXXVIII 17 constat.

3) Hae res eodem die acciderunt, quo lex Ciceroni funesta lata est (Sest. 53); eam vero legem hoc loco significari, quam dixi, non eam, quae postea nominatim de Cicerone a Clodio rogata est, ex oratione de dom. 62 patet; corrigendus igitur est Drumannus II p. 257.

4) Confer Dionem XXXVIII 17. Eodem die Ciceronem Roma discessisse atque legem a Clodio latam esse collegit Hoffmannus (Philol. XIII p. 646) ex Sest. 53 eumque sequitur Halmius in introductione editionis Sestianae Berolinensis § 17.[5] Sed res in dubio versatur; namque id solum Cicero loco illo declarare mihi videtur, eodem die, *immo hora atque etiam puncto temporis*, sibi perniciem, provincias consulibus rogatas

esse. Sine ulla vero ratione Zumptius in libro: 'Das Criminalrecht der roem. Republik' (I 2 p. 419) die altero post discessum Ciceronis contra eum legem latam esse contendit.

5) Epistulae ad Att. III 1—5 quo ordine ac tempore conscriptae sint, difficilius est cognitu. Ep. 1 quin ante ceteras ep. 2—5 data sit, non dubito; in illa enim Cicero causas, cur Atticum se sequi conducat, uberius explicat, quas in ceteris epistulis notas esse ponit; errat igitur Gruberus, qui (l. l. p. 4) ep. 1 post ep. 4 datam esse vult. Porro ep. 1 data est paulo post quam Cicero rogationem a Clodio de se promulgatam legit, quae rogatio circa a. d. XI. Kal. Maias perlata est; denique data est non ita multo post legem de Macedonia provincia latam seu post Idus Mart.; quare data esse videtur exeunte Mart. vel ineunte Apr.

6) Extrema ep. ita est in codice Mediceo: *data VIII. Idus April. thuri;* hoc vero *thuri* omnes adhuc editores de Thuriis urbe interpretati sunt; deinde post Klotzium Wesenbergius pro: *VIII. Id. Apr.* scripsit: 'IV. Id. Apr.' eam ob causam, quod Cicero, qui a. d. VI. Id. Apr. in Lucania erat iterque Vibonem versus habebat (Att. III 2), ut a. d. VIII. Id. Thuriis esset, fieri nullo modo potuit. Quamquam Hoffmannus (l. l. p. 645) epistulam 5 et Thuriis et a. d. VIII. Id. Apr. datam esse vult; is enim epistulam 2, postquam Vibone discessisset epistulasque 4 et 5 iam dedisset, Ciceronem conscripsisse probare vult, cum dicat, in ep. 4 Ciceronem se correctionem legis audivisse narrare, in ep. 2 vero de eadem correctione ut de re nota disputare. Quae Hoffmanni sententia improbanda est; quid enim est, quod Cicero Attico itineris Vibonem suscepti causas patefecerit tum potissimum, cum Vibonem iam reliquisset et duas epistulas alias ex itinere isto iam dedisset? et quid sibi vult istud: *itineris nostri causa fuit?* cuiusnam itineris? circumscribendum enim erat iter, propterea quod tum, cum dabat epistulam 2, ex sententia Hoffmanni Cicero iam in alio itinere versabatur; denique quod de correctione legis monet Hoffmannus, minus valet; quo enim tempore Cicero dedit epistulam 2, correctionem factum iri

audiverat *(praesertim nondum rogatione correcta)*, epistulam 4 autem scripsit, postquam rogatio correcta ei adlata est.

Ex hisce expositis adparet aut illud *thuri* de Thuriis urbe intellegi non posse aut diem traditum (a. d. VIII. Id.) emendandum esse, ut Wesenbergius fecit. Equidem non dubito, quin pro *thuri* legendum sit: *Eburi;* * nam: 1) facillima sane est emendatio; 2) vix fieri potuit, ut Cicero, qui a. d. VI. Id. Vibonem nondum accesserat (Att. III 2) et Vibone aliquamdiu apud Sicam deversatus est (ep. 4), iam a. d. IV. Id., uti vult Wesenbergius, Thurios adveniret (Vibone Thurios 80 fere milia sunt). Quodsi scripserimus: *Eburi*, et dies traditus: *VIII. Id. Apr.* sanus videbitur et multa in hisce epistulis 2—5 facilius intellegentur.

7) Recte Bootius in editione epistularum ad Att. (Amsteld. 1865) illud: *naris luc.*, quod in fine epistulae in libris legitur, de Naribus vico intellegit, quem tabula Peutingeriana in confinio Lucaniae et Campaniae exhibet (edit. Desjard. segm. 5c).

8) In epistula altera libri III. Cicero causas aperit, cur Vibonem profectus sit; porro in ep. 3 Atticum, ut ad se Vibonem, quo iter converterit, statim veniat, orat; haec igitur ep. 3 paulo post illam 2 data videtur. Editores quidem omnes post Schuetzium cum Grubero et Hoffmanno epistulam 3 ante epistulam 2 datam esse voluerunt; at cum talis mutationis nulla sufficiens proferatur ratio, ego traditum epistularum ordinem tueor

9) Epistula data est brevi post quam Cicero Vibone discessit; porro Vibone discessit Cicero circa Idus Apr.; nam a. d. VI. Id. Naribus commorabatur, unde Vibonem usque CLXXXIX fere milia romana numerantur (Itinerar. Anton. ed. Parthey et Pind. p. 50), et a. d. XV. Kal. Mai. in Tarentinum advenisse videtur (Att. III 6); itaque Idibus vel brevi post epistula data est neque adsentiri licet Grubero, Hoffmanno (l. l.), editoribus, qui epistulam, quam ante epistulam 5 conscriptam esse statuunt, ante a. d. IV. Id. Apr. datam esse volunt.

Plurima disputarunt auctores de ista huius epistulae sententia: *in qua* (rogatione) *quod correctum esse audieramus,*

*) Non mea est haec coniectura sed Nisseni.

erat eiusmodi, ut mihi ultra quadringenta milia liceret esse; haec enim CCCC milia utrum in lege correcta an nondum correcta fuerint scripta et utrum ab urbe an ab Italia numeranda sint, non satis liquet. Equidem facere non possum, quin verba illa cum Zumptio (Das Criminalrecht etc. p. 427—433) et Langio (III 304 [2]) contra Drumannum (II 257) de rogatione nondum correcta interpreter, praesertim cum Dio (XXXVIII 17) et Plutarchus (Cic. 32) maius spatium in lege lata scriptum fuisse testes sint. Iam vero quaeritur, quot milibus Ciceroni lege correcta interdictum sit; Plutarchus enim Clodium interdixisse refert, ne intra quingentesimum Italiae milliarium Cicero reciperetur; Dio autem MMMDCCL stadia tradidit, quae CCCCLXVIII fere milia romana fuisse recentiores omnes opinantur, isque numerus Zumptio (l. l. p. 430 squ.) maxime probatur eam ob rem, quod ab urbe Leucopetra tenus, quod extremum Italiae est promonturium, totidem milia numerantur. Quod contra dicendum est, spatia quae a Dione et Plutarcho de Ciceronis exsilio tradita sunt, minime inter se discrepare; etenim cum ex Dionis ratione singula milia passuum romana non octona sed septena stadia et semisses esse constet (Hultsch, Metrologie p. 570 [2] cfr. Dionem LII 21), MMMDCCL stadia sunt ipsa D milia, quae eadem Plutarchus scripsit. Dubitari igitur nequit, quin D milia in lege correcta scripta fuerint. Denique haec D milia ab urbe, non ab Italia computanda fuisse et Dio (l. l.) testatur et Cicero initio epistulae 2 satis declarat; addit quidem Dio: καὶ ἡ ἐν τῇ Σικελίᾳ διατριβὴ ἀπεῤῥήθη, et Cicero Melitae se esse non licuisse Attico (III 4) prodit; sed hasce insulas adire ut Cicero vetaretur, edicto C. Vergilii praetoris, non lege Clodiana, factum esse videtur (Planc. 96).

10) Dies extr. ep. adscriptus in suspicionem vocatus est; Drumannus (V 640 adn. 57) neque hunc diem neque: a. d. VIII. Kal., qui dies in cod. Helmstadiensi adparet, retineri posse iudicat; Wesenbergius epistulam datam esse vult a. d. XIII. vel XII. Kal. Sed nihil immutandum est. Nam quod initio epistulae 7 Ciceronem a. d. XIV. Kal. Maias Brundisium venisse legitur, suspectum esse nequit, propterea quod pridie Kal. Mai. Cicero Brundisio, ubi tredecim dies fuerat (fam.

XIV 4, 2) profectus est (Att. III 7 extr. et 8 in.); atqui de Tarentino uno die facile Brundisium pervenire Cicero potuit (44 milia: Itin. Ant. p. 54); mane igitur a. d. XIV. Kal. de Tarentino dedit epistulam III 6. Wesenbergium vero illud movisse videtur, quod initio epistulae legitur: *non fuerat mihi dubium, quin te Tarenti aut Brundisii visurus essem — quoniam id non contigit;* idcirco Ciceronem a. d. XIV. Kal. Tarento Brundisium, ut Atticum quaereret, venisse, postridie, cum Atticum non invenisset, Tarentum rediisse atque inde epistulam dedisse sibi finxit. Sed haec opinio, quae iam per se inanis est, praeclare refellitur illo (fam. XIV 4, 2): *nos Brundisii apud M. L. Flaccum dies XIII fuimus.* Postquam igitur Tarenti Cicero Atticum non invenit neque Brundisium eum venisse certior est factus, omnino Atticum Roma profectum esse desperavit.

11) Hanc legem promulgatam esse eodem die, quo Cicero Roma cessisset, vult Drumannus (II 257 et adn. 76); sed quae adfert argumenta, id non efficiunt; nam in oratione p. red. ad sen. c. 7 ea de re nihil adfirmatur et Sest. 25, ubi de priore lege Clodiana Ciceroni infesta agitur, vox *nominatim* pertinet ad solam legem de provinciis consularibus. Sine dubio lex altera de Cicerone promulgata non est, antequam prior illa lex perlata esset; in altera enim ita erat: *velitis, iubeatis, ut M. Tullio aqua et igni interdictum sit* (de dom. 47), non: *ut — interdiceretur.* Atque haec dicta sint de promulgatione legis; iam quaeramus, quo tempore lex lata sit. Langius enim in libro antiquitatum romanarum (III 304 [2]) propter ludos Megalenses et dies nefastos, quibus legem ferri non liceret, a. d. III. Non. Apr. cum tardissime legem latam esse vult. Cui equidem nullo pacto adsentiri possum; etenim 1) Cicero, qui post a. d. VI. Id. Apr. Vibone profectus est, se *ante diem rogationis* id iter fecisse ipse testis est (Att. III 2 et 4); quae quidem eius verba cum Manutio Langius (l. l.: *der den ihm gesetzten Termin erfahren hatte)* et Zumptius (l. l. p. 426) ita interpretantur: in ipsa lege diem, ex quo Ciceroni, ne in Italia esset, interdiceretur, adscriptum fuisse; sed haec sententia ea re dissolvitur, quod in lege scriptum erat: *ut inter-*

dictum sit, non: *ut interdiceretur* (de dom. 47, cfr. de dom. 51: *tamen ne id quidem est scriptum, ut exirem* etc.); neque obstant verba (Att. III 4): *adlata est enim nobis rogatio de pernicie mea*, quibus utitur Zumptius; haec enim verba de rogatione correcta potius quam de perlata intellego. 2) Prorsus profligatur Langii sententia Tulliano illo (Att. III 2): *praesertim nondum rogatione correcta*, quod scriptum est a. d. VI. Id. Apr.; quae enim rogatio a. d. VI. Id. corrigi poterat, quomodo a. d. III. Non. perlata est?

Quae cum ita sint, post Idus Apr., quo fere die epistula ad Att. III 4 conscripta est, legem Clodianam latam esse certum est. Deinde intra dies XII.—XIX. eiusdem mensis Romae ludi Cereris fiebant; pridie vero Kal. Mai., cum epistulam ad Terentiam XIV 4 Brundisio dedit, de lege lata Cicero iam certior erat factus (§ 2 et 4); ergo vix dubitari licet, quin intra dies XX. et XXIII. mensis Apr. populus romanus de Cicerone suffragium tulerit. Atque omnes quidem dies inde a IX. usque ad XXIV. mensis Aprilis in Calendariis, quae supersunt, nefasti signantur; sed 'aetate Ciceroniana ius dierum quale fuerit ex hisce notis satis intellegi' nequit (C. I. L. I 366—367); insuper temporis illiciti Clodius tunc fortasse rationem minus habuit, comitia certe, quae de Cicerone habita sunt, turbulentissima erant (de dom. 79, in Pis. 30), etsi, ne lex vitio lata abrogari posset, salvis auspiciis res gesta est (de dom. 42).

12) Extrema epistula XIV 4 ita est in codice: *pr. Kal. Mai. Brundisio;* in § 3 vero ita: *Brundisio profecti sumus a. d. V. Kal. Maias;* quem alterum diem priore cum excludi arbitrarentur, editores Baiterus et Wesenbergius post alios corrigere voluerunt hoc modo: *Brundisio profecti sumus pr. Kal. Mai.* (Bait.) vel: *a. d. II. Kal. Mai.* (Wes.). Sed nihil immutandum est; nam ex Plutarcho (Cic. 32, 2) constat, Ciceronem Dyrrachium profectum postero die ventorum iniquitate Brundisium reiectum esse, postea iterum traiecisse.

13) In ep. ad Att. III 8 (§ 3) a. d. IV. Kal. Iun. Thessalonica data Cicero de Tigrane disputat, quem a Clodio liberatum esse paulo ante ex Attici literis cognovisse videtur

(cfr. § 2). Et eodem nuntio et sermone, quem Atticus cum Pompeio habuit (§ 3), Cicero eo adductus est, ut literas ad Pompeium daret (ep. extr.). Denique ex causa Tigranis natum est Pompei et Clodii discidium (Att. III 10, 1).

14) Quintus Cicero, qui ante Kal. Mai. ex Asia discesserat, Idibus venit Athenas, unde *valde ei properandum fuit* Romam (Att. III 9, 1); Athenis autem Romani iter faciebant, tabellarii quidem, uno et vicesimo die *sane strenue* (fam. XIV 5. 1).

15) Comitia consularia habita esse ante Kal. Quinct. — alia sentit Langius (p. 309) — ex illo patet (Att. III 12, 1): *spem ostendis secundum comitia; quae ista est eodem tribuno plebis et inimico consule designato?* ita enim scripsit Cicero Thessalonicae a. d. XVI. Kal. Sext., quo tabellarii Roma ibant vix quinto decimo die, cum DCCL fere milium id iter esset (Roma Brundisium: 360 milia cfr. Strab. VI 5; Brundisio Dyrrachium: 1000 stadia cfr. Itin. Ant. p. 242; Dyrr. Thessalonicam: 267 milia secundum Polyb. apud Strab. VII p. 323; epistulam III 10 ab Attico Roma a. d. VIII. Kal. Iun. datam Cicero accepit Thessalonicae a. d. XIV. Kal. Quinct. (§ 1 et 3) vel summum ante tres dies [Att. III 9, 3]). Sed Kalendis et postridie comitia nulla fiebant; itaque ante Kal. Quinct. comitia fuerint necesse est. Cui tempori non obstant verba Ciceronis (Att. III 14, 1): *comitia enim credo esse habita,* quae de relicuis comitiis interpretanda sunt; comitiis enim omnibus absolutis de Cicerone in senatu agi Pompeio placuerat (Att. III 13, 1).

16) Haec pugna facta est eo tempore, quo in agris Italicis frumenta ad maturitatem iam pervenerant, in Gallia autem nondum matura erant (Caes. b. g. I 16 *nam propter frigora*): atqui in Italia inde ab exeunte mense Iunio rei publicae romanae temporibus frumenta maturescebant (Nissen, Ital. Landeskunde p. 400), in Gallia vero ubi medio fere mense Quinct. nunc temporis frumenta metuntur, olim mense Sext. messis fiebat. Quapropter mense fere Quinct. ad Bibracte proelio dimicatum est.

17) Verba huius ep. (§ 2): *me — retinuerunt, cum longius discedere propter nescio quos motus vetarent,* paene eadem sunt

atque illa ex ep. ad Att. III 13, 1: *quem autem motum te videre scripseras* etc.; accedit, quod in utraque epistula Cicero multa de comitiis factis disputat.

18) In ep. ad Att. III 15 (3) eadem Varroniana iam adtigerat, quae hoc loco uberius explicat Cicero, ita tamen, ut ibi magnam ex iis hauriat exspectationem, hic longinquitate temporis iam refrixisse videatur; aliquanto igitur post illam haec epistula data est. Neque vero data est post epistulam 19, in qua omnis actio anni illius Ciceroni iam confecta esse videtur (§ 1), qui in ep. 18 de eodem anno nondum desperat. Iustum igitur locum inter ep. 17 et 19 in codice ep. 18 obtinet.

19) Quo tempore frumenta in Gallia matura iam erant seu post medium mensem Sextilem nostri temporis (Nissen. l. l.) Caesar ad Vesontionem morabatur (Caes. b. g. I 39); deinde VII dierum iter fecit, donec in conspectum Ariovisti veniret (l. l. 41); inde quinto die cum eodem in colloquium venit (42), praeterea alii decem dies ante pugnam transierunt (47—48); pugna igitur facta est post mensem Sextilem. Atque etiam accuratius pugnae tempus inde cognoscitur, quod evenit paulo ante novam lunam (50); haec autem fuit die XVIII. Sept. anni Iuliani (cfr. etiam c. 54). Quae cum ita sint, Ariovistus devictus est medio fere mense Sept. Iuliano seu circa a. d. IX. Kal. Oct. veteres.

20) Dyrrachium advenit a. d. VI. Kal. Dec. (Att. III 22, 4), quo Thessalonica iter fuisse CCLXVII milium antea docui.

21) Illud: *ut tuto sim* (fam. XIV 3, 3) Wesenbergio displicuit, quam ob rem ipse tentavit: *ut tutus sim* vel: *ut in tuto sim;* sed cfr. § 4: *et sum tuto* et Att. VIII 1, 1: *nusquam eris tutius* et § 2: *ubi tutissimo essem.*

22) De hac epistula editores falsa mihi sensisse videntur. Postquam enim Kahntius in commentatione 'symbolae criticae in M. Tullii epistulas' (p. 5), quippe qui cum ex tota epistulae ratione tum imprimis ex verbis: *neque enim si ulla spes* etc. Atticum tempore illo non a Cicerone sed ex urbe discessisse collegeret, pro illo: *a me* scribendum suasit: *a meis,* eam coniecturam et Baiterus et Bootius et Wesenbergius secuti

sunt in editionibus. At vero: 1) illud: *a meis* positum pro *ex urbe* vel *Roma* valde iam displicet; 2) deinde maximi ponderis in hac quaestione dirimenda extrema ista epistulae verba sunt: *des operam, id quod mihi adfirmasti, ut te ante Kal. Ian., ubicumque erimus, sistas*; inde enim adparet Ciceronis votum fuisse, ut Atticus apud se, non Romae, se sisteret; at si initio epistulae scripsisset: *a meis*, Atticum Romae, non Dyrrachii, esse voluisset. 3) Ex illo: *id quod mihi adfirmasti* Atticum se Ciceronem ante Kal. Ian. visurum esse adfirmasse idque Ciceronem adprobasse constat; sed quo pacto illud adprobare poterat, si, ut illi volunt, Atticum Roma abesse vehementer dolebat?

Quid igitur? Atticus paulo ante, quam epistula daretur, Dyrrachii apud Ciceronem fuisse indeque in loca vicina — in Epirum — digressus esse videtur, quo Cicero ad eum epistulam dedit. Nihil sane de tali Attici itinere in epistulis, quae antecedunt, legimus; sed facile fieri potuit, ut Atticus, postquam amicum Dyrrachium Thessalonica progressum esse audivisset, iter quod iam Kal. Iun. ingredi statuerat (Att. III 9, 3) maturaret; accedit, quod, quas epistulas post pridie Idus Nov. Atticus ad Ciceronem eodem anno dederit, penitus ignoramus (Att. III 23, 5). Data autem videtur epistula, de qua disputamus, ubi primum Atilium Serranum tr. pl. a Clodio emptum de tabula promulgatae legis nomen sustulisse Cicero rescivit (Sest. 72) seu post medium mensem Decembrem, et aliquot diebus ante Kal. Ian. (ep. extr.).

23) Hanc epistulam in aestatem detrudit Drumannus (II 296 adn. 41), cui sententiae favet vox: *senatusconsultum;* nam senatusconsultum proprie dictum primis anni 57 mensibus de Cicerone factum esse nusquam traditur. Verumtamen cum epistulae verba illa: *tu quaeso festina ad nos venire* cum extrema epistula, quae antecedit, nimis congruant, equidem illam haud ita multo post hanc datam esse cum Wesenbergio iudico. Senatusconsultum igitur, cuius mentio fit in epistula, factum est aut Kal. Ian. (cfr. in Pis. 34: *me Kal. Ian. senatus una voce revocavit)* aut diebus, qui Kalendas secuti sunt.

(Sest. 74: *consecuti dies pauci — sed tamen actum nihil nisi de me)*, sed, si tardissime, a. d. XV. Kal. Febr. (fam. I 4, 1).

24) Hanc epistulam post epistulam 26 datam esse ex ultimis eius verbis patet; data videtur brevi post quam Cicero de rebus a. d. VIII. Kal. Febr. Romae gestis certior factus est i. e. ineunte Febr.; epistulae enim Roma Dyrrachium ferebantur septimo fere die (ep. ad Brut. II 4, 1).

25) Sestius tr. pl. vulneratus est in templo Castoris, postquam tumultus ille a. d. VIII. Kal. Febr. fuit (Sest. 79 squ.); tempore ludorum Apollinarium (6.—13. Quinct.) L. Caecilii Rufi praetoris domus obpugnata est (Ascon. p. 43 K.—S.); *tempore ludorum, qui Virtutis et Honoris dicebantur* (Schol. Bob. ed. Or. 305, 25) in templo Honoris et Virtutis senatus Ciceronis salutem exteris nationibus commendavit civesque romanos, ut suffragium de eius reditu ferrent, undique convocavit (Sest. 116 et 117 Planc. 78); deinde in templo Iovis Capitolini CCCCXVII senatores, uno dissentiente Clodio, ut Cicero veniret, decreverunt, quod mense Quinctili factum videtur esse, quia Lentulus cons. eo tempore fascibus utebatur (p. red. ad sen. 25), quem fasces habuisse mense Ianuario constat (p. red. ad quir. 11); postero die et in curia, *ne quis moram ullam adferret* (Sest. 129), decretum est et in contione Lentulus cons. ornatissime Ciceronis causam egit (p. red. ad sen. 26).

26) Epistula data est, postquam Quintus, quam mitissimam orationem Metellus cons. in senatu habuisset (§ 2), fratrem certiorem fecit; tales vero Metelli orationes duae nobis traditae sunt, altera Kal. Ian. (Sest. 72), altera aestate in Capitolio habita (Sest. 130). Atque hanc ulteriorem orationem in epistula significari collegerit quispiam ex isto (§ 1): *postea mihi non tam meorum literae* etc. conlato cum Dione XXXIX 6—8, idque revera fecit Langius (p. 312 adn. 11); quod contra editores epistularum, dum epistulam V 4 ineunte anno datam esse volunt, cum Grubero de priore oratione cogitaverunt. Equidem nihil certi definiri posse puto; facile enim fieri potuit, ut alias quoque mitissimas orationes Metellus anno illo in favorem Ciceronis haberet. Sed ineunte anno epistula

data esse non videtur; nam post orationem Kal. Ian. habitam Cicero Metello gratias egit, deinde longius per tempus literis ei obstrepere ausus non est, denique hanc epistulam V 4 dedit.

27) Appianus (b. c. II 16) et Plutarchus (Cic. 33) Ciceronem ἑκκαιδεκάτῳ (App.: μάλιστα) μηνὶ μετὰ τὴν φυγὴν rediisse tradunt. Quae definitio a Fischero (Zeittaf. p. 243) improbatur, sed immerito; etenim pridie Kal. Mai. Cicero ex Italia cessit eoque Nonis Sextil. rediit.

28) Harum rerum gestarum de temporibus uberius disputare in animo est cum contra Drumannum (II 300) et L. Langium (Roem. Altert. III 315 [2]) tum contra M. Langii libellum: 'de Ciceronis altera post reditum oratione' (Dresdae 1875), qui illorum sententiam altius fundare conatus est; Langium secutus est Koernerus l. l. p. 6 et 7.

I) M. Langius putat contionem a Cicerone habitam esse Nonis Sept., quo ipso die senatui gratias egisset. Cuius sententiae documentum maximum inde capit (p. 8 squ.), quod illud 'eo biduo', quod Att. IV 1, 6 legitur, omnino intellegendum sit de duobus istis diebus, de quibus antea Cicero egerit, de prid. Non. et Nonis ipsis. De eadem locutione 'eo biduo' iam antea abunde egerat Blatzius in libello: 'Was bedeutet eo biduo, eo triduo etc.' (Friburgae 1861), qui illa 'eo biduo' et 'hoc biduo' semper eadem esse atque 'biduo ante' vel 'biduo post' significare probavisse sibi videbatur. Quem contra Langius 'biduo' voce 'eo' vel 'hoc' omissa duos dies antecedentes vel sequentes posse quidem significare adfirmat, praeferendam autem esse eam significationem, qua diem praesentem cum antecedenti vel sequenti indicet; deinde locutiones 'hoc biduo' et 'eo biduo' nihil nisi praesentem diem cum antecedenti vel sequenti significare (ita p. 9: *namque si equidem dico 'hoc biduo' aut dies hodiernus atque crastinus aut dies hesternus atque hodiernus significatur, tertium non datur)*; denique (p. 12) se locum certum, ubi 'eo biduo' dies duos sequentes significet seu idem sit ac 'biduo post' invenisse nullum profitetur. Quid igitur? Langius quin fallatur, mihi quidem non est dubium; nam: 1) permultis locis ablativus temporis non de tempore praesenti, sed de tempore aut iam absoluto

aut pure futuro, quasi praepositio 'ante' aut 'post' subsequatur, usurpatur; cuius usus inter alia haec sunt exempla: Caes. b. g. IV 18 *diebus decem, quibus materia coepta erat comportari — exercitus traducitur* = 'diebus decem postquam materia etc.', nam uno die, non decem diebus materia coepta est comportari; Caes. b. c. I 48, 1: *accidit etiam repentinum incommodum biduo, quo haec gesta sunt* = 'biduo post quam haec gesta sunt', nam quae gesta sunt, uno die, non biduo gesta sunt cfr. I 47, 1; atque eiusdem prorsus generis est illud (Cic. Rosc. Am. 20): *quatriduo, quo haec gesta sunt*, quem locum cum Halmio (edit. Berol. p. 29 [5]) Langius (p. 13) perperam interpretatur. 2) Neque alius est usus locutionum 'hoc biduo', 'eo biduo', 'eo biennio' etc.; nam profecto lexica plura exempla exhibent, — Langius se invenisse nullum profitetur — ubi fieri nequit, quin significent: 'biduo ante' aut 'biduo post' et similia; quae sunt: a) Cic. Somn. Scip. 3: *hanc* (Carthaginem urbem) *hoc biennio consul evertes;* ita praedixit Africanus maior minori anno 149 a. Chr., sed Africanus minor consul fuit anno 147 et proconsul Carthaginem anno 146 evertit; b) Cic. Phil. XIV 15: *cum, ut scitis, hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret*; ita dixit Cicero a. d. XI. Kal. Mai.; quacum eius sententia conferas ep. ad Brut. I 3, 2: *triduo vel quatriduo ante hanc rem pulcherrimam timore quodam perculsa civitas — eadem recreata a. d. XII. Kal. Maias;* ex hoc enim dicto illud 'hoc triduo vel quatriduo' idem esse ac 'triduo vel quatriduo ante' evidens fit. c) Cic. Phil. XIV 10: *recordamini, quid hoc biduo timuerimus rumoribus improbissimis dissipatis;* ita dixit Cicero, uti iam monui, a. d. XI. Kal. Mai.; sed a. d. XII. Kal. civitas recreata est laeto nuntio (Brut. l. l.); ergo illud 'hoc biduo' indicat a. d. XIII. Kal. seu idem est ac 'biduo ante.' Ex hisce locis locutionis 'eo biduo' et similium usus planus est neque aliis multis locis, ubi eadem locutio recurrit (Caes. b. c. I 18, 5; 41, 1; 87, 4; b. Alex. 9, 3 et 59, 3; in Verr. II 2, 64, in Pis. 14), quin eodem sensu accipienda sit, quisquam illis cognitis dubitabit. Eodem igitur sensu in ep. ad Att. IV 1, 6 ea locutio usurpata est, ita ut Cicero biduo post

Nonas seu a. d. VII. Id. Sept. contionem habuisse videatur. Accedit, quod postridie Nonas erat dies ater, quo contiones non fiebant (Macr. I 15, 22).

Iam alia nascitur quaestio. Langius enim non solum 'eo biduo' unquam idem significare ac 'biduo post' generatim negat, sed etiam (p. 14 squ.) eo, de quo agimus loco (Att. IV 1, 6), omnino de biduo illo, cuius res gestas Cicero paulo ante narraverit, i. e. de pridie Non. et Nonis explicandum esse sibi persuasit; ipse igitur res ita disponit, ut Ciceronem iisdem Non. Sept. et senatui gratias egisse et in senatu accurate de annona sententiam dixisse et contionem habuisse opinetur. Quapropter cum, antequam in Capitolio (de dom. 5 squ.) Cicero in senatu de annona diceret, iam in aede Concordiae post eius reditum senatus fuisset (de dom. 11), aut bis illo die Ciceronem in senatu fuisse — primum in aede Concordiae, ubi senatui gratias ageret, iterum in Capitolio, ubi de annona diceret — aut senatum illum in aede Concordiae eundem atque in Capitolio fuisse (aedes enim Concordiae clivo Capitolino subiecta est, quamobrem Capitolium vocari fortasse potuit) vir ille doctus commentus est (p. 28 et 31). At haec sententia tolerari nequit; namque: 1) bis illo die Ciceronem in senatum processisse nego; ipse enim (de dom. 6 squ.) luce clarius se, quo die in senatu sententiam de annona dixisset, semel tantum in senatum venisse et antea domi se tenuisse profitetur; 2) Senatum in aede Concordiae et in Capitolio eundem fuisse valde displicet; etenim: a) de priore senatu, qui in aede Concordiae fuit, Cicero (de dom. 11 et 12) plebem illuc turbulenter concurrisse lapidationemque factam esse testis est, ad alterum vero in Capitolio habitum populum romanum quiete convenisse narrat (de dom. 6. 7. 15. 16); b) turbulento illo die, quo de annona actum est, orationem illam, quae exstat 'cum senatui gratias egit', nullo modo habere Cicero potuit; eandem autem, quae exstat, revera dictam esse Cicero pro Planc. 74, ubi se de scripto senatui gratias egisse narrat, adfirmare videtur; c) de dom. 15 et 16, ubi accurate senatum illum in Capitolio habitum depingit, nulla litera se tunc senatui gratias egisse commemorat;

atque ut se purget, quod eo die turbulento in senatum venerit, de dom. 5—18 multa verba facit, quo loco, si, ut Langius vult, ibi senatui gratias egit, nonne ante omnia id ei explanandum erat se suum putasse, ut senatui gratias ageret de beneficio in se conlato? nihil tale ibi invenitur; denique in oratione, quam post reditum ad sen. habuit, (16—17) L. Pisonem consularem ita compellat: *L. Piso, tune ausus es* squ.; at in Capitolio illo die omnes consulares praeter Messallam et Afranium (Att. IV 1, 6) aberant; d) ex ipsa illa ep. ad Att. IV 1 (§ 6) orationes et qua senatui gratias egit Cicero, et qua de annona accurate sententiam dixit, diversis temporibus habitas esse adparet; e) postremo, si prid. Non., quo die Cicero Romam intravit, annonae summa, ut ille vult, erat caritas, quomodo summus ille plausus omnium, ipsius quoque infimae plebis, in eius reditu (Att. IV 1, 5) explicari poterit?

Quae cum ita sint, illud 'eo biduo' ad verba: *feci et accurate sententiam dixi*, non cum Langio ad illa proxima: *cum esset annonae summa caritas*, referendum esse mea est sententia; interpretandum igitur videtur de a. d. VII. Id., non de prid. Nonas et Nonis ipsis.

II) Orationes post reditum et ad senatum et ad quirites, quas in manibus terimus, in itinere, antequam Romam Cicero ingrederetur, conscriptas esse Langio (p. 18—27) concedo; in utraque enim oratione de die, quo Cicero urbem intravit, et de summo omnium gaudio, quo exceptus est, nihil sane narratur. Addit quidem Langius alteram eius sententiae argumentationem, cum dicat Ciceronem in utraque oratione cum patria sibi bona fortunasque redditas esse gaudere, id quod Romae, cum ei tunc domus reddita non esset, neque dicere neque scribere potuerit. At contra, quoniam, qua lege Cicero in patriam restitutus est, omnes quoque fortunae et ipsa domus ei redditae sunt (de har. resp. 11 Att. IV 1, 7 et 2, 5), Romae quin tempore reditus scribere potuerit: *cum ea amissa recuperarim* (p. red. ad sen. 39) et similia, ipse non dubito.

III) Orationem, qua senatui gratias egit, uti nunc est, magnam partem a Cicerone habitam non esse et orationem ad quirites nequaquam habitam esse a Langio (p. 16 et 31),

dissentio. Priorem enim orationem de scripto dictam esse a Cicerone ex Planc. 74 constat; accedit, quod Langii de ea oratione iudicium inani fundamento illo nititur, die tam turbulento talem orationem haberi non potuisse, quod iam destruxi. De altera autem oratione meo quidem sensu aliud Langii iudicium fuisset, si ipse alteram de lege agraria orationem legisset, in qua primum (1—10) Cicero populo gratias agit de consulatu ad se delato, ac tum demum ad propositum transit. Atque eadem ratione Ciceronem post reditum in contione illa, quam de annona habuit, primo loco populo gratias egisse, deinde de annona dixisse mea est sententia; namque quin populo gratias egerit, nullus dubito, id vero ante illam de annona contionem non fecisse videtur, cum neque Att. IV 1, 6 neque alibi alterius, quam tunc habuerit contionem, mentionem faciat et illam de annona tam solemniter celebret (Att. IV 1, 6), ut prima post reditum contio fuisse videatur.

29) Epistula data est post a. d. VI. Id. Sept., quia res eo die actae in § 7 narrantur, et aliquanto post data videtur propter illud (§ 4): *nunc etsi omnia scripta esse a tuis arbitror aut etiam nuntiis ac rumore perlata*, nec multo ante pridie Kal. Oct. (Att. IV 2, 2). Koernerus, qui epistulam circa a. d. VIII. Id. datam esse vult (p. 7), sine dubio fallitur.

30) Supplicatio decreta est ob victoriam de Nerviis aestate 57 partam egregiam ex literis Caesaris (Caes. b. g. II 35 Plut. Caes. 21), post Non. Sept. (Cic. pr. Balb. 61, prov. cons. 27); porro decreta esse videtur post Kal. Oct.; nam de dom. 3—33 Cicero cum quae inde a Non. Sept. usque ad prid. Kal. Oct. egit, exponit defenditque tum de eo ipso capite non oportuisse quidquam extra ordinem decerni (18 etc.) tractat neque Caesaris mentionem facit; idem in ep. ad Att. IV 1 et 2, ubi omnes res notabiles mense Sept. in senatu agitatas amico absenti narrat, nusquam de supplicationis decreto illo verbum ullum admiscet. Neque vero post Saturnalia illo anno supplicatio decreta videtur (Qu. fr. II 1, 3). Quare inter Kal. Oct. et Saturnalia ut decreta sit, relinquitur.

31) Angelus Maius (Or. l. l. p. 349), quocum Fischerus quoque (Roem. Zeittaf. p. 244) fecit, orationem Idibus Ianuar. anni sequentis in senatu habitam esse coniecit; alii uti Mommsenus (Roem. Gesch. III, 177[7]) de anno 65 cogitaverunt, quo Crassus censor teste Plutarcho (Crass. 13), ut Ptolemaei regnum publicaretur, contendit. Quid igitur? Ex fragmentis orationis et scholiastae commentario collego: 1) Crassum, quo tempore oratio illa a Cicerone habita est, postulasse, ut Romani, quippe quibus Aegyptus haereditate obtigisset, a rege Ptolemaeo pecunias exigerent (fr. II 4 et III 1 et comm. schol.), 2) Ciceronem Crassi avaritiam castigasse (fr. I 1 et 2 cum comm.), 3) eundem Ciceronem et Ptolemaeum excusasse (fr. III 2 et 3 cum comm.) et belli gerendi suasorem exstitisse (cfr. Aquilam Rom. in Halm. rhet. min. p. 26 et Mart. Capell. ibidem p. 478). Unde efficitur:

1) Idib. Ian. et toto anno 56 orationem habitam non esse; nam brevi ante Id. Ciceronis propter religionem, ut Ptolemaeus sine exercitu reduceretur, sententia erat et in eam sententiam factum est Idibus ipsis S. C. (fam. I 1, 3; 2, 1); Crassus vero eo tempore idem fere atque Cicero sentiebat (fam. I 1, 3). 2) Anno 65 orationem vix habitam esse; nam primum quidem anno illo si forte bellum in Aegypto erat, gerendum erat contra ipsum Ptolemaeum, Cicero autem in oratione et Ptolemaei patronus cognoscitur et ad bellum gerendum hortatur; deinde iam tum Ciceronem Crasso tam fortiter adversatum esse aegre mihi persuadeo; denique anno 63 in oratione de lege agraria altera (41 et 42) tanta dubitatione de causa Aegyptia verba fecit, ut illa aetate certam de ea opinionem nondum concepisse videatur. Quare equidem Langio (l. l. p. 320) adsentior orationem habitam esse exeunte anno 57, quo tempore et in senatu de rege Alexandrino actum est (fam. I 1, 3 Dio XXXIX 12) et, quia res in religionem nondum venerat (Dio l. l. 15), ut bellum gereretur, suaderi poterat. [3])

3) Quod est in codice palimps. scholiastae (Or. p. 352 l. 2–3): *nam quod peritiam facit meliorem,* emendandum videtur: 'nam quod pueritiae facit mentionem'.

32) Ep. data est post postridie Kal. Oct. (§ 5) et, ut videtur, multo post (cfr. § 7: *domus aedificatur — reficitur Formianum, Tusculanum proscripsi*), sed non post a. d. III. Non. Nov. (Att. IV 3, 2). Koernerus (p. 8) ep. ca IV. Non. Oct. datam esse vult; at quae eius sententiae testimonia adfert, contra verba Ciceronis laudata sat perspicua minus valent.

33) Acta est ea res in senatu mense Dec., postquam tribuni plebis magistratum inierunt, et *sub dies festos* i. e. paulo ante Saturnalia. Koerneri (p. 10) sententia, qui de Idib. et postr. Id. cogitavit, certa non est.

34) Nonius (p. 385): *Fenestella annali XXII.: itaque ut magistratum tribuni plebis inierunt, C. Cato turbulentus adulescens et audax nec imparatus ad dicendum contionibus adsiduis invidiam et Ptolemaeo, qui iam profectus ex urbe erat, et P. Lentulo consuli paranti iam iter cogitare* (corrigendum videtur: 'conflare' cfr. pro Cael. 29) *secundo quidem populi rumore coepit;* unde post Idus Dec. Lentulum profectum esse constat. Neque vero post Kal. Ian. profectus esse videtur; quae enim ei Cicero Id. Ian. (fam. I 1, 3) scripsit, eiusmodi sunt, ut mense Ian. Roma afuisse videatur. Porro Ptolemaeum ante Lentulum Roma exiisse idem Nonius (l. l.) testis est. Quae vero Dio (XXXIX 15) ineunte anno 56 accidisse prodigia narrat, anno 57 fuisse colligo ex fam. I 1, quae ep. Id. Ian. data est, hisce verbis (2): *quod instituit referre de religione et saepe iam rettulit, ab eo deduci non potest.*

35) Hanc epistulam post legem sumptuariam a Caesare anno 46 latam conscriptam esse ex hisce eius verbis constat (§ 2): *lex sumptuaria, quae videtur* λιτότητα *attulisse, ea mihi fraudi fuit.* Praeterea de anno 57 cogitari nequit iam propter illud: *fugi in Tusculanum*; Tusculanae enim Ciceronis villae Clodius post fugam eius vastitatem intulit (Att. IV 2, 5).

36) Hae literae commendaticiae primo anni 56 mense datae videntur propter illud: *in primisque ut, quae T. Ampius de eius re decrevit, ea comprobes;* Ampio enim Lentulus in provincia successit. De Koerneri (p. 11) sententia, qui hanc epistulam priori adiunctam fuisse sibi finxit, vide O. E.

Schmidtium in 'Zeitschr. fuer klass. Philologie' (1885) col. 1610—11.

37) Ep. data est post a. d. XVI. Kal. Febr. (cfr. in. ep.), sed ante a. d. XI. Kal. propter illud: *Caninius et Cato negarunt se legem ullam ante comitia esse laturos*; nam comitia a. d. XI. Kal. habita sunt. Artius epistulae tempus definiri nequit, etsi, quod coniecit Gruberus, eam a. d. XV. Kal. datam esse probabile est. Quod autem vult Koernerus (p. 11) iam a. d. XVI. Kal., quo eodem die ep. 2 data est, eam conscriptam esse, valde mihi displicet; eandem enim sententiam iisdem verbis in altera atque altera epistula Cicero expressit, quod certe eodem die non fecit, cfr. 2, 4: *hoc videmur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo aut salvis auspiciis aut salvis legibus aut denique sine vi posset*, cum illo (4, 2): *satis mihi provisum est, ut ne quid salvis auspiciis aut legibus aut etiam sine vi agere possent*; accedit, quod epistulam ante dies comitiales datam esse Koernerus (l. l.) non probavit. Iam vides, quo loco altera eiusdem viri (p. 11 et 12) coniectura epistulas 2—4 eodem die scriptas in unam esse coniciendas habenda sit.

38) Vide Koernerum p. 12.

39) De die cfr. Buechelerum in Mus. Rhen. 1857 p. 532 squ.

40) Ep. datam esse post a. d. VI. Id. Febr. patet ex verbis (§ 1): *a Catone aspere et acerbe* squ.; porro aliquanto post data est, id quod ex prima epistulae sententia facile intellegitur. Errat autem Koernerus (p. 14), qui ep. a. d. VI. vel V. Id. datam esse inde colligit, quod Cicero, cum epistulam daret, senatusconsultum a. d. IV. Id. factum 'ut sodalitates discederent', ignoraverit; de hac enim inscientia ex epistula nihil sane constat.

41) Zumptii, Ungeri, Koerneri (p. 15) de sententia, diem extr. ep. adscriptum ad aliam epistulam pertinere, vide adnot. meam 1. In § 2 post illud 'in posterum' Wesenbergius vocem 'diem' addidit, quae minime est necessaria.

42) Haec ep., quam Asinio Polioni ad Lentulum proficiscenti deferendam Cicero dedit, conscripta est neque, uti voluit Gruberus, inter ep. 5a et 5b (cfr. init. ep. 5b) neque,

quod Koernerus coniecit (p. 14), paulo post ep. 5 b, sed longiore tempore post ep. 5 b et post Quirinalia (17. Febr.); namque: 1) in ep. 5 b Lentuli causam bene cessuram esse Cicero sperat, in ep. 6 valde desperat; 2) in ep. 6 eam solam spem habet: *fore ut infringatur hominum improbitas et consiliis tuorum amicorum et ipsa die*, quod post Quirinalia scriptum esse ex Qu. fr. II 3, 4 extr. certum habeo; ante Quirinalia enim, ut vi et armis hominum improbitas frangeretur, fore maxime confidebat.

43) De die non ita constat; nam quae in Mediceo cod. initio epistulae ad Qu. fr. II 4 nota adparet, et a. d. V. Id. et a. d. II. Id. significare valet, in editionibus autem principibus (Iensoniana et Romana) legitur in altera: a. d. II. Id., in altera: pr. Id. Porro recentiores omnes in editiones receperunt: a. d. V. Id., isque dies probabilior est eam ob causam, quod pr. Id. Mart. erat dies nefastus, quo Equiria celebrabantur.

44) Huic epistulae Mommsenus (Zeitschr. fuer die Altertumswiss. 1844 p. 596 squ.) alteram partem eius epistulae, quae in Mediceo est sexta (Qu. fr. II 6, 3—7), adnexuit, quam viri doctissimi constitutionem Baiterus, Bootius, Wesenbergius in editionibus suam fecerunt, Koernerus (p. 18) laudavit. Equidem eam probare nequeo; etenim: 1) in § 6 absolutionem Sexti Clodii Cicero narrat, quae *paucis diebus* ante Caelii iudicium (Cael. 78) seu brevi ante prid. Non. Apr. accidit; ergo ex sententia Mommseni tota ep. eodem tempore vel paulo post data esset. Id autem valde displicet; initio enim ep. Sestium absolutum esse Cicero amico ut rem novissimam diuque exoptatam exponit, quae absolutio a. d. V. Id. Mart. fuit, atque rem tantam per quindecim fere dies Ciceronem reticuisse et postea ut novissimam fratri nuntiasse ut credam, adduci nequeo. 2) Ordo rerum qualis est in ep. a Mommseno constituta, valde perturbatus est; nam postquam Cicero de Sestio absoluto multa verba fecit, aliis interpositis in § 4 sic pergit: *res autem romanae sese sic habent* etc.; et postquam in § 2 de domibus aedificandis locutus est, ad alia se vertit, sed in § 3 ad eandem illam rem rediit. 3) Si § 1 et 2 et 3—7

in unam epistulam essent coniciendae et eodem die, ca. Kal. Apr., essent datae, Cicero per quindecim dies usque ad finem m. Martii nullam, per decem dies, qui secuntur, tres easque uberiores epistulas ad fratrem dedisset, quod, cum ineunte Apr. nihil ullius momenti accidisset, sane mirum esset.

Quare ego ita statuo: § 1—2 et § 3—7 non unam, sed duas esse epistulas atque prioris epistulae (§ 1—2) extremam partem fortasse intercidisse, alterius (§ 3—7) primam partem certo interiisse; prior ep. data est paulo post absolutionem Sestii, altera vero ea ipsa est, quam commemorat Tullius initio epistulae sequentis (Qu. fr. II 5), in qua Tulliam filiam pr. Non. Apr. Crassipedi desponsatam esse scriptum erat, id quod intercidit, ceteraque de re publica privataque addita erant, quae exstant; altera igitur ep. data est prid. Non. Apr. vesperi vel Nonis mane.

45) Caelii iudicium fuit *diebus festis ludisque publicis* (Cael. 1); alii vero ludi publici mensibus Martio et Aprili — hisce mensibus orationem illam habitam esse ex iis adparet, quae de Sexto Clodio in ea (§ 78) traduntur cfr. Qu. fr. II 4, 6 — non fiebant nisi Megalensia (4.—10. Apr.) et Cerealia (12.—19. Apr.); porro de Cerealibus hoc loco cogitari nequit, propterea quod Cicero a. d. VI. Id. Apr. Roma in villas abiit, ubi usque ad prid. Non. Mai. mansurus erat (Qu. fr. II 5, 3—4); ergo or. pro Caelio habita est tempore Megalensium. Quae cum ita sint, libenter Koernero (p. 18) orationem pridie Non. Apr. habitam esse concedo; nam in ep. ad Qu. fr. II 5 de Nonis et qui eas dies secuti sunt, copiose quidem disputatur, orationis autem habitae mentio nulla fit.

Caelio praeter Ciceronem M. Crassus adfuit (Cael. 23), qui post Nonas protinus ad Caesarem Ravennam profectus est (fam. I 9, 9).

46) Verba (§ 6): *Appius a Caesare nondum redierat* Mommsenus (l. l. p. 598) interrogationem esse interpretatur; sed quid causae habuerit Cicero eam rem fratem rogandi nescio, cum in Italia ipsa de Appii reditu sciscitari posset; quare verbis illis Marcus fratrem se de Appii reditu nihildum audivisse docuisse videtur. Pergit Mommsenus: 'der Brief

schliesst damit, 'dass man von Quintus Getreidesendungen erwarte, sobald das Meer wieder offen sei'; ego de hac re nihil in epistula legi. Ceterum de hac ep. confer adn. meam 44.

47) § 4 huius epistulae, quae est ep. VII. apud Orellium, novam epistulam esse Koernerus (p. 17—18) ex illo (§ 3 extr.) colligit: *tu mi frater simul ut ille venerit* etc. conlato cum extrema § 4; deinde alteram hanc epistulam III. Id. Apr. datam eumque diem in capite eius epistulae (§ 4) scriptum esse a Tullio (in Mediceo ita: ad y Id.) cum Klotzio sentit. Sed vir ille doctus me ad suam sententiam adducere non valuit; namque: 1) verba illa laudata (§ 3 extr.) ex ea, quae antecedit sententia: *ab eo petivi, ut te nobis redderet* facile explicantur; 2) nullam vidi epistulam Tullianam, cuius tale esset initium: *a. d. VI. Id. Apr. hanc epistulam conscripsi*; saepius vero eiusmodi verba media epistula leguntur cfr. fam. I 2, 4 Qu. fr. II 3, 7 Att. IV 15, 8.

Epistula igitur data est a. d. VI. Id. Apr., quo die Cicero Roma in Anagninum, non in Tusculanum, quod somniavit Koernerus (p. 19), profectus est (§ 4).

48) In Arpinati circa Idus Cicero erat per quinque dies (Qu. fr. II 5, 4), unde epistulam datam esse adparere videtur ex illo (§ 3): *Arpinatium fremitus* etc. Koernerus (p. 20—21) paulo post Idus epistulam datam esse scripsit; ipse enim a. d. III. Id. — non a. d. VI. Id., uti ego — Ciceronem in Anagninum, unde in Laterium et in Arpinas venit, migravisse vult (p. 18), quod contra vide adn. sup.

49) Pompeius Roma Lucam profectus est a. d. III. Id. Apr. (Qu. fr. II 5, 3), quod iter CCXXXV fere milium est (Itin. Anton. p. 136 et 138—139); sed Pompeius in itineribus properasse, uti de Caesare constat (Suet. Caes. 57), non videtur; quodsi singulis diebus XXX vel XL milia confecit, circiter a. d. XIII. Kal. Mai. Lucam pervenit.

50) Hanc orationem habitam esse postquam Cicero ante prid. Non. Maias Romam rediisset (Qu. fr. II 5, 4), antequam de agro Campano Pompei mandata accepisset (fam. I 9, 10) i. e. ante Idus Maias Langius (III 330 [2]) inde effecit, quod, quo tempore eam habuit, Cicero neque a Pompeio monitus

neque a Quinto fratre de Pompei sensu edoctus fuisse adparet. Langio ipse adsentior.

51) C. Peterus in Philologo vol. VIII (1853) p. 425 decem illos legatos eos esse existimandos coniecit, qui bellis confectis ex senatu provinciae constituendae causa mittebantur (Cic. Phil. XII 28), quam sententiam Langius (p. 331) comprobat et Dionis (XXXIX 25) verba commendare videntur. At refragatur Cicero (de prov. cons. 28): *quos* (legatos) *alii omnino non dabant, alii exempla quaerebant.* Quapropter haud scio an legati illi eius generis fuerint, quales Pompeio ex eodem senatu ornatus causa bis additi sunt, anno 67 lege Gabinia (App. b. Mithr. 94), anno 57 lege Cornelia et Caecilia (App. b. c. II 18: ὑπηρέται ἀπὸ τῆς βουλῆς), praesertim cum Galliam a Caesare, quamdiu ibi bella gerebat, in provinciae formam redactam non esse constet.

52) Confer § 28. Comitia consularia inde a Sullanis temporibus haberi solebant mense Quinctili (Langius II 540 [3]); itaque ante id tempus ex lege Sempronia de prov. consularibus actum est. Porro actum esse videtur mense Iunio; nam quo tempore actum est, fasces penes Philippum consulem erant (§ 21), qui alterius consulis Marcellini mense Ianuario fuerant (fam. I 1, 2 cfr. Lang. III 331 [2]).

53) Quo tempore haec et epistula ad Att. IV 6 datae essent, ut exquireret, Koernerus (p. 19—21) multa verba fecit, qui illam e Tusculano a. d. V. vel IV. Id. Apr., hanc circa Idus datas esse statuit; sed omnia fere, quae eo loco disputavit, valde sunt incerta et magnam partem iis, quae ipse in adnotatione 54 explicaturus sum, refutantur.

Neque exploratiora mihi videntur, quae O. E. Schmidtius, vir ceteroquin sagacissimus, qui in diario 'Wochenschrift fuer klass. Philologie' (1885) col. 1609 squ. Koerneri dissertationem percensuit, de iisdem epistulis conscripsit; is enim epistulam ad Lucceium a. d. III. Id. Apr., ep. ad Att. IV 6 postridie Idus datas esse voluit; idem epistulam ad Qu. fr. II 5, 2—3 ut interpretaretur, Ciceronem et cum Quinto et cum Crassipede et cum Pompeio in Tusculanum convenisse sibi finxit, quamquam de Tusculano ut quidquam ibi significetur, tantum abest,

ut Cicero se eo die Romae fuisse trésque illos convenisse apertissime declaret.

Iam igitur ipsi videamus, quid de epistula ad Lucceium V 12 definiri possit. Hanc epistulam Cicero dedit post reditum e fuga (§ 4), absens ab urbe (§ 1), paulo ante ep. ad Att. IV 6 (cfr. Att. IV 6, 4), qui locus Gruberum effugit, qui, num omnino epistula ad Lucceium tempus illud tangeret, dubitavit). Sed epistula ad Att. IV 6 data est Antio mense Iunio, uti postea docebo (adn. 54); itaque epistula quoque ad Lucceium eodem mense conscripta esse videtur et data indidem.

54) Koernerus, qui (p. 16—17 et 67) et hanc ep. 6 et ep. 5 exeunte Febr. vel ineunte Martio datas esse scripsit, sine dubio magno in errore versatur. Etenim in ep. 5 Cicero se ad partes Caesaris et Pompei tandem aliquando transiisse et libellum in eorum favorem compositum ad alterutrum misisse multis iisque disertissimis verbis amico aperit ex. gr. § 2 extr.: *quoniam qui nihil possunt, ii me nolunt amare, demus operam, ut ab iis, qui possunt, diligamur;* haec autem facta sunt post Nonas Apr. anni 56; Nonis enim Apr. Tullius in senatu, ut Idibus Maiis de agro Campano frequenti senatu referretur, postulavit (Qu. fr. II 5, 1), id quod ipse ita interpretatur (fam. I 9, 8): *num potui magis in arcem illius* (Caesaris et Pompei) *causae invadere* etc.? Ergo epistulam 5 post Nonas Apr. datam esse certum est.

Age vero, misso Koernero quid alii viri docti de temporibus epistularum illarum enucleaverint, videamus. Omnes, quos novi recentiores auctores (Gruberus p. 6, Bootius in editione p. 175, Wesenbergius) epistulas ad Att. 4 b et 5 circa a. d. VI. Id. Apr., epistulam ad eundem 6 circa Idus ipsas conscriptas esse volunt; nimirum cum epistulas 4 b et 5 Antio datas esse ex ipsis constet, Cicero vero (Qu. fr. II 5) in itinerum suorum ratione describenda Antii mentionem nullam faciat, illi, antequam itinera ista ingrederetur, Antium eum ivisse ibique triduum morantem epistulas illas dedisse sibi fingunt (cfr. Boot. l. l.). At haec sententia tolerari nequit; namque: 1) cum daret epistulas, de quibus agitur, Cicero diutius quam triduum Antii morabatur; quo pacto enim, cum,

ut isti opinantur, modo Roma profectus esset, tam blande potuit Atticum invitare, ut ad se veniret, in illis locis adhaeresceret, Piliam adduceret (Att. IV 4 b), si ipse triduum tantum ibi mansurus erat? 2) Accedit aliud argumentum: Att. 4 b Cicero Atticum rogat, ut librariolos sibi mittat, qui bibliothecam suam, quae erat Antii (Att. IV 8 a), *constrictione et sillybis* pingant; cum vero idem daret epistulam 5, isti Attici librarii id opus Antii iam perfecerant (cfr. ep. extr.); inepte igitur Gruberus et Wesenbergius epistulam 5 uno die post epistulam 4 b datam esse arbitrantur. 3) Quo tempore Cicero dedit epistulas 5 et 6, iam de iis, quae Lucae acta erant et quae Pompeius per Vibullium ei aperuit (fam. I 9, 10), certior erat factus, id quod ex argumento epistularum earundem facile perspicies; quamobrem hae epistulae tempore quodam post conventum Lucae habitum conscriptae sunt. 4) Numquid Cicero, quo tempore iter maius in villas parabat, scribere poterat illud (Att. IV 5, 3): *viaticum Crassipes praeripit?* quod credat Iudaeus Apella!

Quae cum ita sint, equidem epistulas 5 et 6 conscriptas non esse exploratum habeo, antequam Cicero pridie Nonas Maias ex itinere Romam rediisset (Qu. fr. II 5, 4). Iam vero ut accuratius, quo tempore datae sint, cognoscamus, ante omnia nobis investigandum est, quae fuerit παλινῳδία illa, cuius in ep. 5 fit mentio. Ac Drumannus quidem (III 272) palinodiam istam Caesaris laudationem fuisse putat; sed neque de tali libello a Cicerone composito aliunde quidquam constat, etsi studiorum et librorum Tullianorum tot exstant testimonia, neque sententiae Drumanni favent haec Ciceronis verba (§ 2): *modici fuimus* ὑποθέσει, *ut scripsi, erimus uberiores* etc.; itaque haec sententia relinquenda videtur. Postea Mommsenus in adnotatione quadam historiae, quam scripsit, romanae (III 323 [7]) palinodiam istam fuisse orationem de provinciis consularibus, quae exstat, auguratus est, quippe quae optima fuerit retractatio eorum, quae nuper Cicero in orationibus et pro Sestio et in Vatinium et de haruspicum responso cum de rei publicae statu tum de Caesare scripsisset. Atque haec viri doctissimi sententia acutissima eo valde commendatur, quod palinodia

illa scripta est, postquam Quintus Cicero ex Sardinia Romam rediit (fam. I 9,10), id quod factum est aliquanto post Idus Maias (Qu. fr. II 6), atque hoc eodem tempore etiam oratio de prov. cons. a Cicerone habita est (vide adn. 52). Itaque ad Mommseni sententiam, quae Nisseno quoque admodum probata est, et ipse accedo.

Hisce praemissis facile est ad cognoscendum, quibus temporibus epistulae ad Att. 4 b, 5, 6, 8 a datae sint. Epistula enim 5 data est paulo post quam Cicero orationem de prov. cons., quam mense Iunio habuit, scripsit; epistulam vero 4 b compluribus diebus ante ep. 5 scriptam esse ex iis patet, quae in altera atque altera de librariis ab Attico mittendis ac missis disputantur; porro epistulam 6 paulo post ep. 5 dedit Cicero, quoniam in iis, quae in ep. 6 de nova sua coniunctione cum Caesare et Pompeio facta disserit, epistula 5 pro fundamento utitur; postremo ep. 8 a data est, id quod ea, quae de iisdem librariis in ea leguntur, docent. Omnes autem, de quibus hoc loco egi epistulis, Antio datae sunt (cfr. ep. 8 a).

55) Quo tempore Cicero de provinciis consularibus dixit, Pompeius Romae nondum adfuisse videtur, quia in ea oratione praesens esse non commemoratur; cum autem Cicero mense Iunio vel Quinctili ad Lentulum ep. I 7 dedit, Pompeius iam per aliquod tempus Romae fuerat cfr. § 3: *Pompeius, qui mecum — de te communicare solet;* quare ante mensem Quinct. Romam rediisse videtur, praesertim cum ipse consul designari desideraret.

56) De hac epistula recte disputat Koernerus (p. 23—24), etsi, dum circa Idus Quinct. eam datam esse definit, nimis mihi tempus epistulae contraxisse videtur.

57) Pro Balbo dixit Cicero, postquam anno 56 in senatu de provinciis consul. actum est (§ 61) et Pompeius, qui et ipse reo adfuit (§ 2), ad urbem rediit, sed ante alterum Pompei consulatum, quippe cuius in tot huius viri laudibus (§ 9—17) nulla in oratione fieret mentio, et ante hiemem (§ 64: *sed quoniam C. Caesar abest longissime).*

58) Koernerus, qui (p. 26) hanc ep. circa Id. Nov. datam esse scripsit, minus recte iudicasse mihi videtur. Ex

iis enim, quae in epistula de Domitio disputantur (cfr. maxime illud (§ 2): *praeter opinionem)* eam paucos post dies, quam Pompeium et Crassum consules creari velle palam factum esset, datam esse plane constat; hanc vero rem accidisse ante Nov. diserte Dio (XXXIX 30) tradit. Accedit, quod epistula conscripta est paulo ante finem ludorum publicorum, qui ludi Romani fuisse videntur (§ 1: *ludis quidem quoniam dies est additus*). Haec sunt, cur epistulam medio fere Sept. datam esse mihi persuaserim.

59) Lex Clodia de Cypro insula publicanda anno 58 lata est brevi post legem de exsilio Ciceronis (de dom. 65); deinde Cato exiit Roma Cicerone (Sest. 60) et Caesare (de dom. 22) tardius. Idem quo tempore anni 56 redierit, non satis constat; nondum quidem redierat, cum Caesari decem legati a senatu decreti sunt (Plut. Caes. 21); porro Romae iam aderat tum, cum Pompeius et Crassus consulatum petebant (Plut. Cat. min. 41); denique quo tempore rediit, frigora iam erant per noctem (l. l. 38).

60) Vide Koernerum p. 25.

61) Pompeius et Crassus consules creati sunt anno 56 circumacto (Dio XXXIX 31), anno 55 ante a. d. III Id. Febr. (Qu. fr. II 7).

62) Recte de hac ep. iudicavit Koernerus (p. 28), maximi vero ponderis sunt, quae Drumannus adnotavit (III 279,39). In eadem ep. (§ 3) ante illud: *quam ego dixeram* Baiterus praepositionem 'in', Wesenbergius cum Schuetzio: 'contra' suppleverunt, quae mutatio neque necessaria — fieri enim potest, ut Cicero, quam sententiam Afranius dixit, eandem antea Quinto praesente dixerit, — neque rerum eventui accommodata est (cfr. fam. I 9, 19). Denique Langius (p. 337), quae in § 3 illa traduntur, perperam interpretatur, cum eam Afranii sententiam fuisse dicat, ut praetores, cum primum creati essent, protinus magistratum inirent; hanc enim opinionem falsam esse ex illis Ciceronis verbis (l. l.): *qui Afranio cum essent adsensi, addiderunt, ut praetores ita crearentur, ut dies LX privati essent*, satis patet.

63) Ep. datam esse, postquam Pompeius consul est

creatus, ex § 1 veri simillimum est; id quidem Koernerus (p. 27), qui ipse epistulam anni praecedentis mensi Decembri adtribuit, negat, quas vero adfert rationes minus valent; nam 'potiri' (§ 5) verbum saepissime idem significat ac 'tenere' et tempora futura, quae in § 5 leguntur, facile inde intelleguntur, quod Lentuli literae de rebus ab eo bene gestis tunc exspectabantur (§ 6). Accedit, quod, si ep. exeunte anno 56, quo tempore et in senatu maximae contentiones (Dio XXXIX 28. 30. 31) et omnium mentes ad consules designandos conversae erant, data esset, quin has res ullo verbo adtingeret Cicero in epistula, vix fieri potuit. Data igitur est ep. post mensem Ianuarium, sed ante quam Cicero mense Aprili (Att. IV. 10) in villas ad studia literarum se contulit (§ 3).

64) A. d. IX. Kal. Maias Cicero in Cumano ita scripsit: *Puteolis magnus est rumor Ptolemaeum esse in regno* (Att. IV 10); porro secundum Plinium (n. h. XIX 1 [4]) secundo cursu navis Alexandrea Puteolos nono die pervenit. Proinde Gabinius e Cilicia in Aegyptum traiecisse videtur, postquam Pompeium consulem creatum esse rescivit.

65) De die dubitari non licet, etsi Koernerus, (p. 29 et adn. 3), quocum facit O. E. Schmidtius (l. l. col. 1613), Parilibus eam datam esse nescio quo pacto certum habet.

66) Dies, quos in epistulis 9 et 11 codices exhibent, a recentioribus paene omnibus in dubitationem vocati sunt. Primum Manutio, Bootio, Wesenbergio displicuit illud: *duos a. d. V. Kal.* (ep. 11, 1), quod extremae epistulae 9 repugnare putabant; itaque pro *a. d. V. Kal.* scripserunt isti vel: *a. d. II. Kal.* vel: *a. d. III. Kal.* Postea, quoniam numerus *quintum* integer literis in codice Mediceo exaratus est (l. l.), Koernerus (p. 29—31) dies in extrema ep. 9 scriptas emendare maluit, cui adstipulatus est O. E. Schmidtius (l. l. col. 1612—13). Sed omnes istos fefellit eadem opinio vulgaris, qua epistulam 9 ante ep. 11 conscriptam esse a Cicerone compertum habebant. Nihil sane impedit, quoniam epistulam 9 post epistulas 10 et 11 ponamus; *) nam quae de Pompeio Cicero in ep. 9 refert, non erant eius generis, ut quam citissime

*) Hoc me docuit Nissenus.

Attico amico enarranda essent; insuper eandem scribendi consuetudinem, qua Cicero res magni momenti sibi proditas saepe non continuo sed tempore aliquo interiecto Attico aperiebat, cognosces ex iis. quae in ep. ad Att. X 7, 3 de Curione exposuit cfr. X 4, 8. Itaque epistulam 11 dedit Cicero a. d. V. Kal. Maias e Cumano, postquam uno tempore duas Attici epistulas accepit; deinde eodem die de Cumano se movit; denique a. d. IV. Kal. epistulam 9 scripsit *bene mane iens in Pompeianum.*

67) Quae in ep. de statu et solitudine Ciceronis exponuntur, si cum epistulae ad Att. IV 11 (2) verbis: *ego praeter Dionysium eduxi neminem* comparaveris, vix dubitabis, quin utraque ep. eodem fere tempore data sit. Praeterea in ep. ad Att. IV 9, 2 Quintum Nonis Maiis ad Atticum venire se velle fratri renuntiasse legimus; unde nescio an colligi liceat, post Nonas epistulam ad Quintum fr. II 8 conscriptam esse, in qua Quintus ut ad fratrem advolet atque adproperet, invitatur. Data autem est ep. e villa prope Neapolim sita (cfr. § 3: *apud Anicium videbimus, ut paratum sit* cum iis, quae in § 1 de octophoro Aniciano dicuntur) i. e. e Puteolano vel Pompeiano (Drum. VI 392 squ.)

68) Priorem legem ante mensem Maium latam non fuisse adparet ex illo (Att. IV 9, 1): *Syriam spernens, Hispaniam iactans* (Pompeius) etc. (cfr. Att. IV 11, 1), quae verba Drumannus (III 281) minus recte de lege illo tempore iam perfecta interpretatur. Neque vero ipse cum Hoffmanno ('de origine belli civilis etc.' [1857] p. 19 adn. 11) neque cum Zumptio ('studia romana' [1859] p. 84) facio, qui leges illas mense demum Nov. (Zumpt.: Idib. Nov.) latas esse finxerunt; nam consules, quippe qui nihil antiquius haberent in consulatu, quam ut leges illas perferrent, legislationem usque ad extremum annum distulisse mihi persuadere nequeo; accedit, quod iam ante Id. Nov. Crassus in Syriam prov. abiisse videtur (Att. IV 13) atque sine dubio multo ante eum diem expeditionem in Parthos iam parabat. Legem vero utramque eodem die latam esse Dio narrat (XXXIX 36), cui contra-

dicere, id quod L. Langius (p. 338) fecit, cum alia testimonia desiderentur, non audeo.

69) Hanc epistulam post mensem Aprilem datam esse ex comparatione eius cum ep. ad Att. IV 9—11 facta constat; porro mense Nov. data non est cfr. ep. 13. Sed cum accuratius, quo mense data sit, definiri nequeat, sententia Koerneri (p. 32), qui cum aliis exeunti Maio eam adscribit, fundamento caret.

70) Caesar (b. g. IV 29) lunam plenam commemorat, quae decimo vel quinto decimo die ante propinquam diem aequinoctii acciderit (l. l. 36); vix igitur dubitari licet, quin haec luna plena fuerit ea, quam nocte ante prid. Kal. Sept. (30.—31. Sext.) anni Iuliani accidisse siderum periti testantur (cfr. Napoleonem, 'histoire de Jules César' II 180; Caesaris b. gall. ed. Kraner p. 185). Eadem autem nox fuit *post diem quartum, quam ventum est in Britanniam* (l. l. c. 28); unde Caesarem die XXVII. Sextilis nostri temporis in Britanniam advenisse certum est (l. l. 22; Bergkius in Fleckeis. annal. suppl. vol. XIII p. 612—613, ut die 25. eius mensis advenerit, fieri posse probare conatus est, non probavit). Porro Caesar, antequam in Britanniam traiecit, aliquod tempus in Morinorum finibus consumpsit in navibus comparandis et obsidibus postulandis accipiendisque, qui mea sententia quindecim fere dies fuerunt (Caes. b. g. IV 22); ad Morinos autem venerat Rhenum flumen ex finibus Ubiorum cum exercitu transgressus, postquam pontem in Rheno factum rescidit (l. l. 19 et 20), quod iter, cum esset CXCIII milium romanorum (Itin. Anton. p. 179 et 180), decem fere diebus confecisse videtur; Rhenum igitur flumen reliquit fere ante quintum et vicesimum diem, quam in Britanniam venit (Napoleo l. l. p. 181 cumputavit 43 fere dies) i. e. circa diem II. Sextilis Iuliani *exigua parte aestatis reliqua* (Caes. l. l. 20). Idem trans Rhenum dies omnino XVIII consumpsit (l. l. 19), ita ut die fere XV. mensis Quinctilis flumen primo transgressus esse videatur. Sed decem diebus pons in Rheno confectus est (l. l. 18), et aliquot ante diebus Caesar Usipetes Tencte-

rosque proelio vicerat fuderatque (l. l. 15 et 16); quare circa diem XXV. mensis Iunii Iuliani id proelium factum est.

Hisce expositis restat, ut dies, quos anni Iuliani statuimus, ad veteris anni calculos revocemus; quo in negotio maximo usui sunt, quae in adnot. 1 declaravi; inde enim Kal. Ianuarias anni veteris 700 post u. c. seu 54 a. Chr. in prid. Id. Dec. anni Iuliani 53 incidisse constat. Quo posito res a Caesare anno 55 gestae, quas antea congessi, in hosce anni veteris dies referendi sunt: circiter a. d. VII. Id. Quinct. (25. Iun. Iul.) cum Usipetibus et Tencteris Caesar pugnavit; ca. a. d. IV. Kal. Sext. (15. Quinct. Iul.) pons in Rheno confectus est; ca. a. d. XV. Kal. Sept. (2. Sext. Iul.) Caesar ex Germania ulteriore in Galliam rediit; pridie Id. Sept. (27. Sext. Iul.) Caesar in Britanniam traiecit; inde post diem quartum luna plena fuit; deinde Britanniae principes coniurationem faciunt (Caes. l. l. 30), pugnatur (32 et 33), *secutae sunt continuos complures dies tempestates* (34), veniunt legati de pace (36), *propinqua die aequinoctii* — *ipse idoneam tempestatem nanctus paulo post mediam noctem naves solvit* (l. l.), quae omnia inter decem vel quindecim dies mihi facta esse videntur (Napol. l. l. tredecim dies effecit); ergo in Galliam rediit Caesar exeunte fere Sept. (10.—15. Sept. Iul.). Denique *his rebus gestis ex literis Caesaris dierum XX supplicatio a senatu decreta est* (38), quod exeunte Oct. vel vertente m. Novembri factum esse ex iis, quae dixi, conicio.

71) Quo tempore Pompei theatrum dedicatum fuerit, non satis constat. Summis caloribus ludos, quibus theatrum dedicaretur, fuisse Drumannus (IV 523) ex Valerii Maximi loco quodam (II 4, 6) conclusit; quae sententia minime tam vilis est, quam vult Koernerus (p. 34). Sed idem Drumannus (l. l.) secundum Plutarchum (Pomp. 52, 5) post Crassi consulis Roma discessum et secundum Dionem (l. l. 38 et 39) post Hortensii legem sumptuariam disturbatam ludos illos factos esse immerito contendit. Iam vero paucos post dies, quam Cicero in Pisonem dixit, ludos factos esse ex Pisoniana ipsa (§ 65) et ex Asconio (p. 1) patet. Porro ex eiusdem orationis § 81 et 82 constat, quo tempore Cicero in Pisonem dixit,

Rheni quidem traiectum a Caesare factum Romae notum fuisse, eundem vero Caesarem in Britanniam transmisisse Ciceroni nondum innotuisse; atqui exeunte Quinctili Caesar pontem in Rheno confecit, medio fere Sept. in Britanniam traiecit; ergo post medium mensem Sextilem et ante mensem Oct. Cicero orationem in Pisonem habuit et Pompeius theatrum dedicavit. Koernerus minus recte dedicationem mense Oct. factam esse vult (p. 33—34), qui error inde natus est, quod Dioni (l. l. 39) et Plutarcho (Pomp. 52) in hac re nimium tribuit, Ciceronis illud (in Pis. 97): *nulla ex trinis aestivis gratulatio* angustiore sensu intellexit, Pisonem non priùs Samothraciam et Thasum se contulisse putat, quam successori provinciam tradidisset (in Pis. 89).

72) Comitia habita sunt, postquam Piso ex Macedonia prov. rediit (in Pis. 55: *ne de officiosissima quidem natione candidatorum)* et antequam Crassus ex urbe in provinciam suam abiit, qui ipse comitia aedilicia fecit (Planc. 49). Erraverunt igitur et Drumannus, qui post a. d. XIII. Kal. Dec. comitia fuisse ex Att. IV 13, 1 repetere voluit (IV 526), et Manutius, qui in annum proximum ea detrusit.

73) Quod in ep. legitur (§ 1): *nos in Tusculanum venisse a. d. XVII. Kal. Dec. video te scire*, Cicero eo ipso die scribere non potuit, sed die, qui secutus est, vel postea scripsit; deinde idem ep. extr. Atticum rogat, uti de rei publicae statu ad se scribat, ne istuc hospes adveniat; porro a. d. XIV. — ita cum Manutio et Baitero numerus Medicei XVIII emendandus videtur; Wesenbergius, quem secutus est Koernerus (p. 35), coniecit: *a. d. XIII.*, quod non adeo probatum habeo — Kal. Romae adesse voluit. Quare epistula data est vel a. d. XVI. vel a. d. XV. Kal. Dec.; data videtur a. d. XVI. Kal.

74) Huius epistulae in tempore definiendo sine dubio lapsus est Koernerus (p. 51—52), qui error ei non obtigisset, si Plutarchi, quae ipse laudavit verba, perpendisset haec: (Κράσσος) ἀνεχώρησεν αὐτὸς ἐν Συρίᾳ διαχειμάσων καὶ δεξόμενος αὐτόθι τὸν υἱὸν ἥκοντα παρὰ Καίσαρος ἐκ Γαλατίας αὐτόν τε κεκοσμημένον ἀριστείοις squ. (Crass. 17, 4); inde enim P. Crassum

M. F. aestate anni 54 apud Caesarem in Gallia et, ut videtur, in Britannia quoque fuisse satis constat; sed quo tempore Cicero epistulam illam dedit, idem Crassus Romae aderat (§ 4). Accedit, quod M. Crassus, Publii frater, eo anno Caesaris quaestor in Gallia erat (Caes. b. g. V 24), quem et ipsum in urbe adesse Cicero in eadem ep. significare videtur (§ 2 et 4). Unde efficitur epistulam aestate 54, quod voluit Koernerus, datam non esse. Quid igitur ? Epistulam illam primam fuisse, quam Cicero ad Crassum in Syriam prov. Roma profectum daret, ex ipsa certum est; deinde anno 54, non 55, eam datam esse docet (§ 1) illud: *cum consulibus;* porro neque autumno data est (cfr. fam. I 9, 20: *quod te scribis audisse* etc.) neque aestate, uti demonstravi; et de ornamentis Crassi (§ 1 et 3) initio anni illius in senatu actum esse, non procedente anno, probabile est; haec sunt, cur ep. primis anni mensibus datam esse certus sim et editoribus adsentiar, qui Ianuario eam adsignaverunt.

75) Scripta est ep. ante prid. Idus, id quod adparet ex illo (§ 2): *pridie Id. neque tibi neque Pomponio deero,* quocum conferas ep. 10, 2: *videt enim Februarium* etc. Quod coniecit Wesenbergius, quem secutus est Koernerus (p. 37), a. d. III. Id. eam datam esse, probabile quidem, verum non compertum est.

76) Cfr. § 1: *nam prid. Idus* etc. cum ep. 13, 2: *cognosce nunc Idus.*

77) Hanc ep. mense Martio datam esse editores cum Grubero iudicaverunt; at Koernerus (p. 37—38) suo iure de m. Aprili cogitavisse videtur eam ob rem, quod mense demum Maio Caesar epistulae rescripsit (Qu. fr. II 13, 3).

78) Haec ep. non exeunte, quod voluit Koernerus (p. 40), sed ineunte m. Maio data videtur; nulla enim ei inest Quinti fratris mentio (cfr. sententiam epistulae primam cum ep. sequenti 7), quem ineunte Maio ad Caesarem profectum esse veri simile est (cfr. Qu. fr. II 12, 1). Praeterea errant editores (Schuetz., Bait., Wes.), Roma dum eam datam esse scribunt mense Maio; isto enim mense fere toto Cicero in Cumano et Pompeiano studiis vacabat (Att. IV 14, 1 Qu. fr. II 12, 1).

79) Priores duo eius operis libri confecti erant exeunte mense Oct. (Qu. fr. III 5, 1 cfr. 4, 6); postea Cicero totam eius indolem mutare voluit, quam tamen, uti fragmenta, quae supersunt, cum iis, quae ipse Tullius ad Qu. fr. III 5, 1 de priore indole narrat, conlata docent, retinuit (cfr. Qu. fr. III 5, 2). Totum opus absolutum fuit anno 51, antequam Cicero in Ciliciam profectus est (Att. V 12, 2 et VI 1, 8).

80) Att. IV 14, 1 tradita sunt in Mediceo haec verba: *te Roma a. d. VI. Id. Maias putare profectum esse*, quae ita intellegi nequeunt. Itaque Wesenbergius proposuit: — *putare profecturum esse*, quod propter illud quod sequitur: *velim domum ad te scribas* admitti non potest; Schmidtius in libello: Zur Kritik und Erklaerung der Briefe Cicero's an Atticus (Norimb. 1879) illud: *putare* mutavit in 'mature', belle id quidem, sed minus probabile propter vocem: *tardius*, quae verba: *profectum esse* in libris excipit; Koernerus (p. 39 adn. 1) cogitavit de 'putare se'; nihil magis placet quam 'putari profectum esse', quod recepit Baiterus; Vestorius igitur Puteolanus tunc Roma afuisse videtur.

81) Multa, quae de hac ep. disputavit Koernerus (p. 39—40), satis lubrica sunt. Neque enim Ciceronem iam a. d. VI. Kal. Iun. e Cumano vel Pompeiano Romam profectum esse crediderim, cum ipse se usque ad Kal. Iun. in locis istis futurum esse testatus sit (Qu. fr. II 12, 1) et a. d. IV. Non. Iun. Romam venerit (ep. 13, 1) — quot milia quovis die confecerit, plane ignoramus —; neque quot diebus ante discessum suum epistulam conscripserit, usquam proditur; neque quo die Quintus Cicero Arimini fuerit, satis constat; iam vero ne illud quidem ex § 3 necessario colligitur, Ciceronem, cum epistulam daret, in Cumano, antequam Romam rediret, neminem fore putasse, cui literas deferendas daret. Ex illo vero (§ 1): *et eram in iisdem locis usque ad Kal. Iun. futurus* post medium mensem Maium, aliquot diebus ante Kal. Iun. epistulam datam esse probabile fit. Denique decem fere diebus antequam ep. data est, Quintus Roma ad Caesarem exiisse videtur (cfr. init. ep.) — Ariminum Roma iter est 216 milium (Itin. Anton. p. 58—59).

82) Vide Koernerum (p. 42).

83) Illud 'me', quod Baiterus et Wesenbergius ante *delectarunt* suppleverunt (§ 1 extr.), non desideratur cfr. Att. IV 16, 1, ubi uterque ante *delectavit* idem 'me' cum codice omisit; l. l. 18, 2, ubi Baiterus 'me' omisit, Wesenbergius contra codicis fidem addidit; Qu. fr. III 1, 5, quo loco idem verbum delectandi obiecto, quod dicitur, caret.

84) Ep. conscripta est, priusquam Cato absolutus, Procilius condemnatus est (§ 5); hae vero res evenerunt a. d. IV. Non. Quinct. (cfr. Att. IV 15, 4, ubi codicis lectionem: *a. d. III. Non.* ita emendandam esse: *a. d. IV. Non.* ex Asconio [p. 16 et 17 K.—S.] Koernerus [p. 44 et 45] primus vidit). Sed, uti monet idem Koernerus, cum tempore illo aperte pugnat, quod eius, de qua agitur ep., in § 6 de Scauro narratur; ibi enim ita est: *Scaurum Triarius reum facit*, id quod factum esse post diem illum (a. d. IV. Non.) disertissime Asconius (l. l.) docet ita: *Scaurus a P. V. Triario postulatus est —, ut in actis scriptum est, prid. Nonas Quinct., post diem tertium quam Cato erat absolutus.* Quae discrepantia quomodo tollenda sit, iam quaeritur. Ac Koernerus quidem Asconium, licet acta se inspexisse aperte fateatur, spernit, cum per errorem eum *pridie Nonas* scripsisse fingat pro 'pridie Kalendas'. At haec res admodum est odiosa; Asconii enim fides cum passim probata tum hoc loco, ubi bis diem circumscribit et actis se usum esse adponit, plane firmissima est. Quare mea sententia est illam § 6, quae in codice non huius, de qua agitur ep. 16, sed epistulae 17 pars est, perperam a Mommseno et qui eum secuti sunt editoribus, epistulae 16 insertam esse. Videtur igitur haec § 6 pars esse epistulae, quae interiit, quam Cicero inter ep. 16 et ep. 15 conscripsit, idque inde fit probabilius, quod ultimae libri IV. ad Att. epistulae in codice Mediceo valde perturbatae atque etiam, uti initio epistulae 18 conspicitur, mutilatae ad nos usque venerunt.

85) Haec ep. quin eodem fere die atque ep. ad Att. IV 15 conscripta sit, non dubitabis, si, quae in illius § 4 et in huius § 7 Cicero narravit inter se simillima, comparaveris.

Koernerus quidem (p. 46) cum Bootio (ad Att. IV 15, 7) epistulam illam ad Qu. fr. paulo ante hanc ad Att. datam esse sibi persuasit; at quae eius sententiae profert argumenta, sane levissima sunt. Etenim: 1) Ciceronem accuratiorem rerum notitiam in ep. illa ad Att. habere dicit; sed in ea ad Att. epistula Ciceroni hoc propositum est, ut res romanas accurate amico exponat, in ep. autem ad Qu. fr. sententiam suam de longiore fratris apud Caesarem commoratione potissimum prodit et obiter tantum in extrema ep. pauca de rebus publicis addit, unde factum est, ut in hac ep. multa praeteriret, quae in illa expressit; 2) neque concedo Ciceronem, quo tempore epistulam ad Qu. fr. daret, eas Quinti literas nondum accepisse, quas in ep. ad Att. (§ 10) commemorat; nam ratio loquendi, qua in ep. ad Att. utitur, cum dicat: *ex Quinti fratris literis suspicor*, satis declarat eum de brevi illa Quinti epistula 'πραγματικῶς' scripta dicere, ad quam in ep. ad Qu. fr. (cfr. § 2) respondet.

In § 2 Wesenbergius neque recte interpunxit nec suo iure pro *mea conscientia* ('meines Wissens') scripsit: *mea confidentia*; locus ita legendus est: *nec laboramus* (cod.: 'laborant', Or. et Wes.: 'laborandum'), *quod mea conscientia copiarum nostrarum, quod Caesaris, quod Pompei gratiam tenemus; haec me, ut confidam, faciunt.*

In § 4 verba: *coitione Memmi est quo cum Domitio* desperata sunt; in iis, quae secuntur: *hanc Scaurus unum vincere* verbum, quod dicitur finitum, desideratur, itaque Wesenbergius de 'vincere potest' cogitavit; sed sine dubio e voce 'unum' eliciendum est verbum 'vult', quod librarius vel cum voce 'unum' commutavit vel post 'unus' propter similitudinem omisit; scripsit igitur Cicero vel: *hanc Scaurus vult vincere* vel: *hanc Scaurus unus vult vincere.*

86) Exeunte m. Sextili Cicero fratri scripsit (Qu. fr. II 15, 4): *O iucundas mihi tuas de Britannia literas! timebam oceanum, timebam litus insulae*; atqui Quintum statim vel brevi postquam ad Britanniam feliciter accessit, eam rem fratri nuntiavisse compertum habeo; sed epistulae ex Britannia Romam ferebantur septimo fere et vicesimo die, uti ex Qu.

fr. III 1, 13. 17. 25 et Att. IV 18, 5 adparet; itaque exeunte Quinct. Quintum Ciceronem cum Caesare in Britanniam transmisisse credo. Atque etiam Napoleonis computatio ('histoire etc.' p. 197 squ.) ex naturae rationibus instituta eidem tempori favet; is enim die aut VI. aut XX. mensis Quinctilis anni Iuliani Caesarem in Britanniam navigasse probavit, ex quibus diebus prior ille (6. Quinct.) seu a. d. IV. Kal. Sext. anni veteris, altero misso, pro vero habendus est. At nihil de transmissionis die ex eo tempore efficitur, quo Caesar in Galliam rediit — quod paulo post a. d. VI. Kal. Oct. (Att. IV 18, 5) accidisse videtur —, quamquam in hoc negotio Koernerus (p. 48) operam multam conlocavit; quot enim dies Caesar in Britannia fuerit, minime constat; qui quindecim quidem dies consumpsit, donec in Cassivellauni fines exercitum duxit (Caes. b. g. V 18), sed quamdiu hac in regione fuerit, investigari nequit.

87) Confer Qu. fr. II 15, 2. Langius, qui eadem epistula Tulliana teste utitur, errat, dum mensibus Iun. et Quinct. eam rem accidisse narrat (l. l. p. 346).

88) Confer eiusdem epistulae haec verba (§ 2): *ego vestras Britannicas literas exspecto* cum illis epistulae ad Att. IV 15 (§ 10): *ex Quinti fr. literis suspicor iam eum esse in Britannia;* atqui haec ep. ad Att. exeunte Quinct. data est; ergo ista ad Trebatium paulo tardius seu ineunte fere Sextili data est. Koernerus minus recte eam eodem tempore quo epistulam laudatam ad Att. datam esse ex iisdem locis conclusit (p. 47).

89) Cfr. § 3: *Scauri iudicium statim exercebitur;* summus enim iudicii dies in Scauri causa fuit a. d. IV. Non. Sept. (Asc. p. 16).

90) Vide L. Langium (p. 349). Koernerus (p. 49—51) hanc orationem ludis Romanis circa Non. Sept. habitam esse ex § 83 eius sibi effecisse videtur eamque sententiam O. E. Schmidtius (l. l. col. 1610) comprobavit. Quibus ut adsentiar, equidem a me impetrare non valeo. Namque si revera Plancii iudicium tempore ludorum fuit, cur *frequenter* Laterensis Plancii accusator in Ciceronem congesserit *saneque in eo creber* fuerit

se in ludos causam conicere noluisse, non perspicio; quin immo Cicero hisce verbis: *te idcirco in ludos causam conicere noluisse* causam in ludos coniectam esse mihi quidem negare videtur; extrema autem verba illa: *sine tensis autem quid possum dicere,* quibus Koerneri sententia maxime nititur, ita interpretanda videntur: si de tensis, quam rem tu maximi facis, dicere non possum, quid aliud dicere potero? Accedit, quod Asconius inter Vatinianam et Scaurianam orationem aliam enarravit, quam Plancianam fuisse certum videtur (cfr. introd. ad Asc. in edit. K.-S. p. XV). Denique in ep. ad Qu. fr. III 1 (§ 1) se ludorum diebus in Arpinati se refecisse Cicero profitetur.

91) Ab amicis de morte filiae Caesarem certiorem esse factum in litoribus Galliae, ut primum e Britannia revertisset, Plutarchus (Caes. 23) testis est; sed a. d. VI. Kal. Oct. Caesar exercitum e Britannia reportabat (Att. IV 18, 5) et ipse mense Oct. ante Idus in Galliam traiecisse videtur (cfr. adn. 94); porro epistulae Roma in Britanniam ferebantur septimo fere et vicesimo die (cfr. adn. 86), illas vero literas de tam gravi re ab amicis ad Caesarem datas maturius perlatas esse pro certo habendum est. Quae cum ita sint, mihi non est dubium, quin Iulia mense Sept. mortem obierit. Fallitur igitur Bergkius (Fleckeis. ann. suppl. vol. XIII p. 622 squ.), quem secutus est Koernerus (p. 54 adn. 3), dum circa a. d. V. Kal. Sept. Iuliam mortuam esse contendit; qua in re Koernerus eo magis lapsus est, quod ipse (p. 60) paulo ante Idus Oct. demum Caesarem e Britannia rediisse probare conatus est. Denique Iuliam mortuam esse tempore ludorum Romanorum, quo Cicero Roma afuit, colligi licet ex ep. ad Qu. fr. III 1; in huius enim epistulae § 1—14 Cicero saepe quidem Caesaris, nunquam autem Iuliae facit mentionem, cuius mortem in § 17, quod caput Romam reversus a. d. XI. Kal. Oct. scripsit, significat; dum igitur Cicero in Arpinati erat — ludorum diebus (§ 1) — aliquot saltem per dies Iuliae mortem ignorasse videtur.

92) Hanc epistulae partem Cicero, antequam a. d. XIII. Kal. Oct. in urbem ex villis rediit, conscripsit, id quod ex

§ 14 patet; hoc enim loco iterum (cfr. § 6 et 7) Quinti fr. de aedibus et filio tractat et ea quidem exponit, quae, quo tempore § 6 et 7 scripsit, nondum cognovisse videtur. Scripta autem est ea, de qua agimus parte, proximis post Id. Sept. diebus (§ 4 et 8) in Arpinati (§ 1 et 21).

93) Primum scripsit Cicero § 14—16, deinde, cum epistulam illam iam complicaret, literis a Caesare et a fratre acceptis § 17—18, denique inter cenam, quae sunt in § 19, dictavit. Iam vero quae secuntur § 20—22 eiusmodi sunt, ut posteris diebus additae esse videantur; quare Koernero, qui (p. 53) has § 20—22 eodem die quo illas § 14—19 scriptas esse arbitratur, equidem non adsentior. Quando scriptae sint § 14—19, ex § 17 cognoscitur, ubi sine dubio cum Bardtio (quaestiones Tullianae, Berol. 1866 p. 32): *a. d. XI. Kal. septimo et vicesimo die* legendum est, quod utinam Wesenbergius in epistularum editionem recepisset!

94) Ex verbis illis Caesaris (b. g. V 23): *quod aequinoctium suberat* eundem paulo ante diem XXV. Sept. anni Iuliani seu paulo ante Id. Oct. anni veteris in Galliam transmisisse Koernerus (p. 60) conclusit. At verba ista Caesaris fortasse latius interpretanda sunt. Etenim iam a. d. VI. Kal. Oct. exercitus reportabatur e Britannia (Att. IV 18, 5); et quamquam eo tempore naves ex continenti remissae a Britannico litore reiectae et a Caesare 'aliquamdiu' frustra exspectatae sunt, tamen ineunte Oct. anni veteris seu circiter diem X. Sept. anni Iuliani transmissio exercitus ad finem perducta esse potest (Caes. l. l.). Atque etiam superiore anno (55) circa diem XII. Sept. anni Iul. Caesarem e Britannia revertisse et Napoleoni ('histoire' II 181) et mihi (vide adn. 70) persuasum est, etsi ipse Caesar *propinqua die aequinoctii* eam rem evenisse scripsit (b. g. IV 36).

95) In ea ep. se duobus mensibus ad Trebatium non scripsisse Cicero testatur (§ 1); atqui quae antecedit epistula 8 ineunte m. Sextili fere data est, uti in adn. 88 exposui; ergo ep. 9 ineunte fere Oct. data est et suo iure Bergkius (l. l. p. 623 adn. 4) eam paulo post ep. ad Qu. fr. III, 1 datam esse coniecit. Koernerus, qui ep. illam 8 exeunte Quinct.

scriptam esse voluerat, hanc ep. 9 convenienter exeunti Sept. tribuit (p. 54); Baiterus vero et Wesenbergius, qui, cum epistulam 9 mense Sext. datam esse scripsissent, lacunam, quae in ep. post verba *propter eius* cernitur, voce *luctum* de Iuliae obitu cogitantes expleverunt, se ipsi deseruerunt; Iulia enim mense Sept. mortua est. Scilicet lacuna ista, ut illi fecerunt, explenda est et expleri potest, propterea quod ep. non mense Sext., sed ineunte Oct. data est.

96) In § 1 ita est in Mediceo: *lepidum quo excidat;* quae verba Koernerus (p. 55) ita sanare voluit: *ne quidquam quo excidat,* idque emendavit O. E. Schmidtius (l. l. col. 1610), cum proponeret: *ne quid quo excidat.* Sed cum verbum 'excidere' cum accusativo coniunctum vix deprehendatur aliis locis, equidem malo: *ne quid unquam excidat,* quod ad literas quoque in Mediceo traditas propius accedit.

97) Vide Koernerum (p. 55).

98) Cfr. Qu. fr. III 3, 3. Pompeium eo die ad urbem fuisse, contra Dionem (XXXIX 63), quem Drumannus (III 56) et Langius (III 356) secuti sunt, suo iure Koernerus (p. 59 adn. 2) ex Qu. fr. III 4, 1 effecit.

99) Ep. hoc anno datam esse certum est; porro data est, postquam Cicero literas Trebatii, quas in ep. 9 desideravit, accepit; deinde relicuae duae ep. 16 et 10, quas post ep. hanc 17 Cicero eo anno ad Trebatium scripsit, mensibus Nov. et Dec. datae sunt; ep. igitur 17 mense Oct. procedente data videtur. Koernerus eam a. d. XII. Kal. Nov. datam esse iudicavit, eodem tempore, quo ep. ad Qu. fr. III 3 data esset (p. 56).

100) Ep. data est post a. d. IX. Kal. Nov. (§ 5) et ante Pomptini triumphum (cfr. § 4); data videtur brevi post Gabinii absolutionem, quae in ea ut recens narratur et quam amico Ciceronem diutius debuisse vix crediderim. Eo ipso tempore Cicero in Tusculano erat (Qu. fr. III 4, 6). Quae vero Koernerus (p. 57 adn. 3) de die, qui extr. ep. legitur, *a. d. V. Id. Sextil.* in a. d. V. Id. Sept. mutando scripsit, nullius momenti mihi videntur esse; Atticum enim in itineribus absentem raro epistulas ad Ciceronem scripsisse, tres priores

libri IV. ad Att. epistulae satis declarant; deinde eam Attici epistulam a. d. V. Id. Sext. Epheso datam iam ineunte m. Sept. in Ciceronis manibus fuisse minime constat, quin etiam improbabile est eam ob causam, quod epistulae e Cilicia prov. septimo quadragesimo die 'celeriter', Athenis uno et vicesimo die 'sane strenue' Romam ferebantur (Att. V 19, 1, fam. XIV 5, 1).

101) Haec ep. post ep. 4. eius libri data est, id quod ex iis, quae in utraque de Gabinio exponuntur, elucet, sed non ita multo post (cfr. § 6 cum Qu. fr. III 4, 5); deinde, quo tempore data est, Cicero Roma aberat (§ 2: *si Romam venero*); unde eam inter diem XXV. Oct. et diem II. Nov. (Qu. fr. III 4, 6) datam esse patet.

102) Cfr. § 1: *cadit enim in absolutionem Gabinii*, et § 2: *Romam cum venero.*

103) Cfr. § 6: *perluctuosum fuit a. d. VIII. Kal. Dec.* et § 3: *de virtute et gravitate Caesaris* etc. In § 1 legitur in codice Mediceo: *alteram te scribis pridie Labieno dedisse, quia adhuc non venerat;* hoc 'quia' omnes editores mutaverunt in: 'qui', sed sine dubio emendandum est: 'quae' (cfr. fam. XI 24, 2: *dum tibi literae meae veniant*, Ovid. Her. 2, 1: *litera venit);* nam Labienus, Caesaris ille legatus, neque mense Novembri neque tota hieme Romam profectus est, id quod ex isto loco belli gallici a Caesare scripti (V 24): *quartam legionem in Remis cum Tito Labieno in confinio Treverorum hiemare iussit* aliisque multis (b. g. V 37, 53; VI 5, maxime Qu. fr. III 7, 2) certum est; quodsi Quintus epistulam ad fratrem scriptam Labieno dedit, id agitabat, ut Labienus eam per tabellarios suos Romam mitteret; Labienus enim suis tabellariis utebatur, id quod in eadem epistula (§ 2) Cicero narrat. De filio autem Labieni idcirco cogitari nequit, quod eius ante annum 43 a. Chr. nulla usquam facta est mentio et Cicero vocem 'filio' certe addidisset, si istum significare voluisset. Ceterum cfr. Qu. fr. III 7, 2: *et ad Labienum — literas dabo.*

104) Confer Att. IV 19, 2: *hiberna legionis eligendi optio* etc. cum Qu. fr. III 8, 2: *ubi enim isti sint Nervii — nescio.*

105) Scripta est ep. hiemali tempore cfr. § 1: *nunc vero in hibernis intectus mihi videris,* sed ante quam tumultus ab Ambiorige et Indutiomaro motus Ciceroni innotuit, cfr. § 3: *quid agatis et ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme* etc., qui tumultus ortus est *diebus circiter XV, quibus in hiberna ventum est* (Caes. b. g. V 26) i. e. ineunte vel medio m. Novembri; haec sunt, cur Koernero (p. 61) epistulam exeunte Nov. datam esse concedam.

106) Vide Koernerum (p. 61—62).

107) Epistulam ultimis anni temporibus datam esse inde colligo, quod (§ 3), cum eam dedit, Cicero prorsus desperabat consules nisi per interregem aut dictatorem creari posse; accedit, quod eam post ep. 8 datam esse ex iis, quae in utraque ep. de Milone disseruntur, patet (cfr. 8, 6 cum 9, 2). Koernerus (p. 62) eam medio fere mense Dec. datam esse eo argumento usus contendit, quod Cicero in ea fratris literis responderit, quas hic de Gabinio absoluto per ep. 4 certior factus dedisset; sed haec res mihi explorata non videtur. Itaque fortasse ineunte Dec. ep. scripta est; exeunte data esse nequit propter illud (§ 3): *Gabinii absolutio lex impunitatis putatur.*

108) Damnatus est Gabinius post ep. ad Qu. fr. III 9 datam (cfr. verba § 3 modo exscripta); quare tanta oratione, qua Bardtius in libello iam laudato (quaest. Tull. p. 35—37), ut ante m. Decembrem condemnatum eum non esse demonstraret, usus est, opus non erat. Ceterum eodem illo anno 54, ac non potius initio anni 53, Gabinii id iudicium fuisse non tam certum mihi videtur, quam recentiores omnes voluerunt; constat quidem eum apud M. Catonem, qui anno 54 praetor erat, de repetundis accusatum esse (Qu. fr. III 1, 7; 2, 1), et Dio (XXXIX 63) eodem anno eum condemnatum esse docere videtur; at, cum Cicero epistulam ad Qu. fr. III 9 scripsit, minime de Gabinio defendendo cogitabat; et si Gabinius mense Dec. condemnatus est, eodem mense post Gabinii iudicium C. Rabirius Postumus et accusatus est (reus enim factus est eo capite: *quo ea pecunia pervenisset* [p. Rab. 12])

et reus in iudicio adfuit; nam eidem iudices, qui in causa Gabinii, in Rabirii iudicio sederunt (p. Rab. 10).

109) Vide Koernerum (p. 62—63).

110) Hanc ep. anno 55 datam esse cum Wesenbergio Koernerus (p. 35) iudicavit; sed Qu. Ancharius procedente iam anno 55 Pisonem in Macedonia prov. excepit (in Pis. 97) et Cicero in ep. multas commendationes suas iam apud eum plurimum valuisse fatetur; quae cum ita sint, de anno 54 cogitare ipse maluerim.

CONSPECTUS RERUM NOTABILIORUM,

in quibus disceptandis aliam atque alii sententiam persecutus sum.

1) Res gestae:

Anno a. Chr. 55, non 56, intercalatum est[1] (contra Ungerus in Fleck. annal. 1884 p. 585).

Lex Clodia de exsilio Ciceronis intra dies XX.—XIII. fere Apr. lata est [11] (L. Langius 'Roem. Altert.' III 304 [2]: ante prid. Non. Apr.).

Lege Clodiana D milibus ab urbe numerandis Ciceroni interdictum est[9] (contra Drum. II 257 et Zumptius 'Das Criminalrecht etc.' p. 430).

Comitia consularia anno 58 ante Kal. Quinct. habita sunt [15] (Langius l. l. p. 309: mense Quinct.).

Senatusconsultum de cura annonae ad Pompeium deferenda factum, item prima Ciceronis post reditum contio, in qua Quiritibus gratias egisse videtur, habita est: a. d. VII. Id. Sept.[28] (Drum. II 300, L. Langius p. 315, M. Langius 'de Ciceronis altera post reditum oratione' [1875] p. 14 squ., Koernerus 'de epistulis a Cicerone' etc. [1885] p. 6—7: Non. Sept.).

Lex Trebonia de prov. et lex Pompeia Licinia de imperio Caesari prorogando post Kal. Mai. latae sunt.[68] (Drum. III 281: ante a. d. X. Kal. Mai.).

Pompei theatrum dedicatum est post med. Sext. et ante Oct.[71] (Koern. l. l. p. 33—34: Oct.).

Scaurus repetundarum postulatus est prid. Non. Quinct.[84] (Koern. p. 44: prid. Kal. Quinct.).

Iulia mortua est intra dies II.—XVIII. Sept.[91] (Bergkius in Fleck. annal. suppl. XIII p. 622 squ.: ca. a. d. V. Kal. Sept.).
Oratio pro Plancio ludis Romanis habita non est [90] (contra Koern. p. 49–51).

2) Epistulae:

fam. I 4 data post a. d. XVI. Kal. Febr.[37] (Koern. p. 11: a. d. XVI. Kal. Febr.).
fam. I 5 b data videtur longiore tempore post a. d. VI. Id. Febr.[40] (Koern. p. 13: a. d. VI. vel V. Id.).
fam. I 6 data post Quirinalia (17. Febr.) [42] (Koern. p. 14: paulo post a. d. V. Id. Febr.).
fam. I 8 data Febr.-Mart. 55 [63] (Koern. p. 27: Dec. 56).
fam. V 8 data Ian.[74] (Koern. p. 51: ex. Sext.).
fam. V 12 data Iun.[53] (Wesenb. et Koern. p. 19: Apr., Schuetz.: Mai.).
fam. VII 26 data anno 46 vel 45 [85] (edd. et Koern. p. 10: 57).
fam. XIII 40 data anno 54 [110] (Wes. et Koern. p. 35: 55).
Qu. fr. II 4 § 3–7 non sunt pars epistulae II 4, 1—2 [44] (contra Mommsen. in 'Zeitschr. f. die Altertumsw.' [1844] p. 596 squ.; Koern. p. 18).
Qu. fr. II 5 § 4 est pars epistulae II 5, 1—3 [47] (contra Koern. p. 19).
Att. III 6 data a. d. XIV. Kal. Mai.[10] (Wesenb.: a. d. XIII. aut XII. Kal.).
Att. IV 1 data medio fere Sept.[29] (Koern. p. 6: ca. a. d. VIII. Id. Sept.).
Att. IV 2 data circa vel post med. Oct.[32] (Koern. p. 8: ca. a. d. IV. Non. Oct.).
Att. IV 4 b et 5 datae Iun.[54] (Koern. p. 15: ex Febr.; ceteri: a. d. VI. et V. Id. Apr.).
Att. IV 8 a data Iun.[44] (Wesenb.: Apr.; Koern. p. 21—22: ca. Id. Mai.).
Att. IV 8 b data med. fere Sept.[58] (Koern. p. 26: ca. Id. Nov.).
Att IV 9 data a. d. IV. Kal. Mai.[66] (Koern. p. 29–30: a. d. VIII. Kal.; O. E. Schmidtius 'Wochenschr. fuer klass. Phil.' [1885] col. 1612–13: a. d. VII. Kal.).
Att. IV 10 data a. d. IX. Kal. Mai.[65] (Koern. p. 29 adn. 3 et Schmidtius l. l.: a. d. X. Kal. Mai.).
Att. IV 16 § 6 (ed. Bait.) non est pars epistulae ad Att. IV 16 [84] (contra Momms. 'Zeitschr. fuer die Altert.' [1845] p. 780 squ. et Koern. p. 44–45).

3) Loci temptati:

fam. XIV 3, 3: *ut tuto sim* [21] (ita etiam cod.; Wes.: *ut tutus sim* vel *ut in tuto sim*).

fam. XIV 4, 3: *a. d. V. Kal. Mai.*[12] (ita etiam cod.; Bait.: *prid. Kal. Mai.*; Wes.: *a. d. II. Kal. Mai.)*.

Qu. fr. II 7, 3: *quam ego dixeram*[62] (ita etiam cod.; Bait.: *in quam* etc.; Wes.: *contra quam* etc.).

Qu. fr. II 13, 1: *delectarunt*[81] (ita etiam cod.; Bait. et Wes: *me delectarunt)*.

Qu. fr. II 14, 2: *quod mea conscientia*[65] (ita etiam cod.; Wes.: *quod mea confidentia)*.

l. l. § 4: *hanc Scaurus unus vult vincere*[85] (cod. et ed.: *hanc Scaurus unum vincere)*.

Qu. fr. III 8, 1: *quae adhuc non venerat*[108] (cod.: *quia adhuc* etc.; ed. omnes: *qui adhuc* etc.).

Att. III 5: *Eburi*[6] (cod.: *thuri*; ed. omnes: *Thuriis)*.

Att. III 25: *post tuum a me discessum*[22] (ita etiam cod.; Bait. et Wes.: *post tuum a meis discessum)*.

Att. IV 17, 1: *ne quid unquam excidat*[96] (cod.: *lepidum quo excidat*; Koern. p. 56: *ne quidquam quo excidat)*.

Nonius Marcell. p. 385: *invidiam — conflare coepit*[34] (cod.: *invidiam — cogitare coepit)*.

Schol. Bob. Cic. p. 352 (Or.): *nam quod pueritiae facit mentionem* [31,8] (cod.: *nam quod peritiam facit meliorem)*.

VITA.

Gerardus Rauschen natus sum a. d. III. Id. Oct. anni h. s. LIV in oppido provinciae Rhenanae Heinsberga patre Melchiore matre Agnete, quibus adhuc superstitibus vehementer gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Literarum elementis imbutus progymnasium patriae adii, quod etiam nunc floret Mommartzio rectore, qui vir vere paedagogus liberalium artium amorem invictum in me et excitavit et fovere nunquam destitit. Postea per quattuor annos Novesii gymnasium frequentavi, ubi Rheinstaedter religionis doctor et Windheuser classis nostrae praeceptor, qui dicitur, ordinarius singulari me prosecuti sunt benevolentia. Maturitatis testimonium adeptus ut theologicis et philosophicis studiis me traderem, anno 1874 universitatis Rhenanae Bonnensiss ubii disciplinam atque per sex semenstria virorum cl.: Bischoffii, Breitensteinii, Cardaunsii, Flossii, Hertlingii, Huefferi, Kauleni, Kleinii, Neuhaeuseri, Rothii, Simari scholis interfui. Inde, cum propter temporum rationes in patria sacerdotio initiari non liceret, Ruraemundam migravi, ubi seminarii clericalis per annum alumnus autumno anni 1878 a Rev. dom. Paredis episcopo Deo adnuente sacerdos sum ordinatus. Sed et ecclesiae ministrum me non tam animarum cura quam erudiendae iuventutis et literarum studium sollicitabat; quapropter postquam quattuor annos primum pueris privatim deinde puellis in schola instituendis tribui eaque opera ad studia in universitate continuanda, quae semper maximis in votis meis fuerant, facultates comparavi, tandem autumno anni 1882 Bonnam redii, ubi ex eo tempore in artem grammaticam et historiam discendam totus incubui.

Docuerunt me viri cl.: Buecheler, Dove, Klein, Luebbert, Maurenbrecher, Menzel, Neuhaeuser, Nissen, Rein, Ritter, Schaefer, Schwartz, Usener, Wiedemann; iam primo semenstri Schaefer ad seminarium historicum me admisit,cui per octiens sex menses interfui disciplinis usus Dovii, Maurenbrecheri, Menzelii, Nisseni, Schaeferi; in seminarium philologorum ut reciperer eiusque per annum sodalis essem ordinarius, benigne concesserunt Buecheler, Luebbert, Usener; exercitationum palaeographicarum ut socius essem, permisit Menzel, philosophicarum Neuhaeuser, geographicarum Rein.

Quibus viris omnibus gratias ago debitas; plurimum vero Schaeferi et Nisseni disciplinae, benevolentiae, singulari comitati me debere profiteor, quorum memoriam semper colam pientissimo ac gratissimo animo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1) Contra Mommsenum (de colleg. et sodaliciis p. 65) et Halmium (or. pr. Sull. 1878 p. 135[3]) iudices editicios ante legem Liciniam (anno 55) exstitisse nullos iudico.

2) Idem Mommsenus cum ante legem Iuliam anno LIX latam proconsuli vel propraetori ex provincia reduci rationes reddendas Romae fuisse negat (Herm. I 170), errare videtur.

3) Scholiastam Bobiensem Ciceronis christianum hominem fuisse Teuffelio (Lit. Gesch. p. 295, 4[4]) et Gaumitzio (Zu den Bob. Ciceroscholien, Dresdae [1884] p. 13) non concedo.

4) Inmerito Gloedius (Ueber die hist. Glaubwürd. Caesars etc. p. 31) Caesarem illud, se Massiliae legem de dictatore latam audivisse, mala tradidisse fide (b. c. II, 21) contendit.

5) In Platonis Cratylo verba (392 d): τί δή ποτε; οὐ γάρ πω — μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε Hermannus et Schanzius in editionibus parum caute e loco suo moverunt.

6) Ibidem idem Schanzius quod et 416 b ante illud ἀεισχοροῦν articulum τό supplevit et 423 d pro λέγω δέ τι τοῦτο scripsit λέγω δ' ἔτι τοῦτο, non probo.

7) Definitionem deorum certorum et incertorum, quam proponit Prellerus (Roem. Mythol. p. 73[3]), Varronianam esse nego.

8) Lupercos ante liberae reipublicae tempora neque per urbem currere neque mulieres verberare coepisse Ungerus (Mus. Rhen. XXXVI 59) non effecit.

9) De studiis Rudolphi Sueviae ducis Giesebrechtium (Kaisergesch. III 247 [3]) non recte iudicasse Gregorii VII. papae epistulae I 19—20 (bibliotheca historic. ed. Jaffé vol. II) declarant.

10) Nicolai II. papae de electione summi pontificis decretum, quale a Hugone abbate Flaviacensi traditum est (Mon. Ger. VIII), anno 1060 potius quam 1059 factum esse Panzerus (Hist. Taschenb. [1885] p. 1 etc.) non probavit.

11) Gregorii VII. epistulas, quae sunt in Registro eius III 1—3, a. d. XIII. Kal. Aug. 1075 datas esse contra Duenzelmannum (Forsch. vol. XV p. 517 squ.) defendo.

TYPIS PETRI HAUPTMANNI